FRANCOLINUS CLERICI ROMANI PAEDAGOGUS, LAXIORIS, IN...

Antoine Bardon

4.5

FRANCOLINUS CLERICI ROMANI PÆDAGOGUS,

Laxioris, in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento, diſciplinæ Magiſter;

Commentitiæ Rigoriſtarum Sectæ, fictitiarumque in Eccleſiam veterem ac recentem calumniarum impugnator;

OBSERVATIONIBUS

Hiſtorico-critico-moralibus exagitatus.

§ § §
§ §
§

DELPHIS.

APUD HENRICUM VAN-RHIN.

M. DCCVI.

2

PRÆFATIO.

PRodiit *ſuperiori anno Baldaßaris Francolini Societatis Jeſu Theologi opus inſcriptum* : Clericus Romanus contra nimium rigorem munitus duplici libro ; quorum uno veteris Eccleſiæ ſeveritatem , altero præſentis Eccleſiæ benignitatem , à rigidiorum quorundam Scriptorum calumniis vindicat. *Utroque Libello , diſcreti Doctoris perſonam induens , cum* rigidioris *diſciplinæ Magiſtro , quem totum hirſutum & hiſpidum fingit , colloquitur molliſſimus Pædagogus ; ſubque benignioris doctrinæ ſpecie , effrænem Clerico Romano laxitatem inſtillat. Adversùs errores , à nemine hiſce temporibus propugnatos diſcipulum muniens , cum larvis inutili digladiatione luctatur , hoſtemque quem feriat ſibi fingit ; ut apud imperitos gloriam captet , ſibique de reportato triumpho blandiatur. Commentitiæ Rigoriſtarum ſectæ fictitias , in Eccleſiam veterem ac præſentem , calumnias comminiſcitur , quas oppugnet ; ac veras interim ſummis Scriptoribus ,*

ribus, florentissimis Academiis, Ecclesiis etiam celeberrimis calumnias struit. Jam verò si quid fortè, inter centenos Historiæ & Criticæ lapsus, priscæ memoriæ & eruditionis affectat, Joannem Morinum exscribit confidentissimus plagiarius; eundemque (quod magis mirere) spoliis ejus onustus cavillatur ac deprimit. Sic ille, fallacis benignitatis obtentu, salutarem Sacramenti Pœnitentiæ severitatem, à Conciliis Patribusque tantoperè commendatam, totis viribus insectatur; ejusdemque religiosissimos & eruditissimos Professores, odioso Rigoristarum nomine dehonestat: præproperam absolutionis largitionem, facilitatem veniæ, festinæ communionis securitatem peccatoribus adpromittit.

Quis Romanum Clerum adeò degenerem putet, ut mollioris doctrinæ Magistro aures accommodet; ac non potiùs avitæ pietatis æmulator Majorum animos induat; verbaque ære digna, quibus non absimiles Ecclesiasticæ disciplinæ laxones represserat quondàm aliàs, in Magistrum prurientibus palpantem auribus etiamnum usurpet? Absit ab Ecclesiis

clesiâ Romanâ, vigorem suum tam profanâ facilitate dimittere, & nervos severitatis, eversâ fidei majestate, dissolvere; ut cùm adhuc non tantùm jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura præstentur; & nova, per misericordiam falsam, vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse Medicus, interceptâ pœnitentiâ, indulget periculis? si tantummodò operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.

Clerus Romanus Epist. 2 ad S. Cyprianum, inter Cyprianicas 31.

Hos ut animo sensus imbibat Romanus Clericus, & contra nimiam novi Præceptoris laxitatem muniatur, opportunè facturus videor, si has Viri pereruditi in Francolini lucubrationem Observationes in publicum mittam. Quo illæ casu meas in manus inciderint nosse

nihil

nihil interest. Id unum scire juvat; Romani Clerici Pædagogum planâ istic ac facili methodo confutari, ejusdem aberrationes, lapsus, corruptelas signari digito; calumnias, dicteria, criminationes probè depelli. Has tu, Lector, seriò perpende; & funesta palponis institutoris consilia repudiabis.

Tu verò, Pater Optime, Cleri Romani totiusque Christiani orbis Antistes maxime, audi doloris liberam vocem, quam, inspecto Francolini Libello, intimus bonis omnibus pietatis sensus expressit: Emersit novum genus cladis; accessit ad cumulum, sub misericordiæ titulo, malum fallens & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini & Dei legem, temeritate quorundam laxatur incautis communicatio, irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excussa est; gravissimi extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium

S. Cypr. lib. de lapsis.

tium

tium vulnera, & plaga lethalis, altis & profundis vulneribus infixa, dissimulato dolore contegitur. &c. *Perpende, Sanctissime Pontifex, quæ nunc laxioris doctrinæ monstra Roma pariat; ac ne diutiùs alat foveatque, gladium exere. Abs te, contra Cleri religiosissimi corruptorem, præsidium Canonum, Ecclesiasticæ disciplinæ tutelam, purioris Ethicæ defensionem, pietatis virtutisque patrocinium christianus orbis expectat.*

INDEX OBSERVATIONUM.

Observatio I. *Revincuntur calumniæ Jansenismi & Rigorismi, afflictæ Academiis, Familiis, Collegiis Belgii, Galliæ, Italiæ.* Pag. 1

Observatio II. *Illust. Genettus Vasionensis Episc. à calumniâ vindicatur.* 14

Observatio III. *Francolinus injurius Ecclesiis Græcæ, Africanæ, Gallicanæ, Sanctis Patribus, Conciliis Provincialibus, Summis Pontificibus, & clarissimis ætatis nostræ Scriptoribus.* 32

Observatio IV. *Francolinus in criticâ disci-*

disciplinâ rudis & peregrinus. 69

Observatio V. *Francolini errores varii circa mores notantur.* 89

Observatio VI. *Deteguntur variæ Francolini calumniæ, passim & ex occasione viris summis afflictæ.* 118

Observatio VII. *Duodecim capitales calumniæ, quibus Ecclesiam veterem à Rigoristis impeti comminiscitur Francolinus, quasque idcircò oppugnandas aggreditur; expenduntur, ac fictitiæ demonstrantur.* 137

Observatio VIII. *Duodecim aliæ capitales calumniæ, quibus præsentem Ecclesiam à Rigoristis impeti comminiscitur Francolinus, quasque alterâ operis parte confutandas suscipit, expenduntur, ac fictitiæ demonstrantur.* 169

Observatio IX. *Seu elenchus laxitatum & corruptelarum, ad Pœnitentiæ Sacramenti administrationem attinentium, in quarum confutatione, si verum dicere velit Francolinus, hodiernus quem traducere tentat, Rigorismus situs est.* 186

Observatio X. & Ult. *Francolinus aliquot falsationum convictus:* 213

FRAN-

FRANCOLINUS CLERICI ROMANI PÆDAGOGUS,

OBSERVATIONIBUS

Historico-critico-moralibus exagitatus.

OBSERVATIO I.

Revincuntur calumniæ Jansenismi, & Rigorismi affictæ Academiis, Familiis, Collegiis Belgii, Galliæ, Italiæ.

ROmanum Clericum informaturus Baldassar Francolinus Societatis Jesu Theologus, & contra nimium rigorem, in Pœnitentiæ Sacramento, à multis, ut ait, factâ sectâ, exerceri solitum, duplici Libro

muniturus, eundem præliminari Epistolâ convenit, quâ Rigorismum illiusque Professores adumbrat, & quibus angulis delitescant seriò præmonet, ut ab iis cavere discat. Sic porrò Discipulum affatur novissimus Pædagogus, seraphicâ æstuans charitate pro domo Dei, pro integritate fidei, prò sanctitate doctrinæ moralis: *At inquies quis iste Rigorismus est? qui Rigoristæ sunt? qui eorum libri ut cavere possim? Respondebo: habent Jansenistæ Theologiam suam speculativam, & practicam seu moralem. Speculativa Jansenismus est; practica seu moralis, Rigorismus est. Hujus tria principia sunt, Patres jactare plurimùm, Pontifices æstimare parvi, recentiores Theologos nihili. Patribus, ut ab ipsis exponuntur, deferre obsequium verum, Pontificibus simulatum, reliquis Doctoribus neutrum &c.* Subjicit infrà: *Eorum verò libros facilè dignosces ex Authoris regione, Academiâ, Familiâ. Libri primâ facie, modo probandi assertiones suas allegationi-*

Pag. 11 Epist.

Pag. 14 Epist.

nibus &c. Nosti regiones occulto morbo laborantes, Academias, Familias, Collegia. Quæ verò ſint illæ regiones lue tàm periculosâ affectæ, non obſcurè innuit in Præfatione ad Lectorem numero tertio: *Cœpere jam* (inquit) *ab aliquot annis in Belgio quàm plurimi, non pauci in Galliis, aliqui in Italia, ut à quibuſdam ſuis doctrinis ſpeculativis, quas exagitari videbant, omnem erroris ſuſpicionem propulſarent, rigorem quendam in doctrinis moralibus profiteri &c.* *Præfatio ad Lectorem. num. 3.*

Tenemus, Francoline mi, tenemus ex ore tuo regiones occulto morbo laborantes: aperi nobis, amabo te, nominatim Academias, Familias, Collegia, in quibus virus adeò periculoſum ſpargitur, viget, dominatur. Non audes illas ſuo ipſo indigitare nomine? quid times? quo cœpiſti pede, quæſo, pergas. Totus quantus es, ſatyricus es: unum ſatyræ tuæ epiſtolari deeſt, nomen ſcilicet Academiarum, Familiarum, Collegiorum Belgii, Galliæ, Ita-

liæ in quibus Theologia ſpeculativa Janſeniſmus eſt, practica ſeu moralis Rigoriſmus eſt. Cur, rogo te, nomen illud adeò tibi exoſum ſilentio premis? Non decet Magiſtrum bonum tacere quæ auditoribus utilia judicat. Appellaſti regiones tabe infectas; ſuſcepti ratio muneris poſtulat, ut candidè nomine deſignes Academias, Familias, Collegia Belgii, Galliæ, Italiæ, purum putumque Janſeniſmum olentes, Rigoriſmum toti, quàm latè patet, Eccleſiæ exitioſum ſapientes. An ferulam times, tu qui pridem ferulæ manum ſubduxiſti, tu qui non ſemel alienas manus ferulæ ſubjicis, tu qui potentiſſimæ Societatis, quæ Reges ac Principes ſibi habet arctiſſimè devinctos, membrum haud infimum es? Certè me latet cauſa hujus myſterii. Tuas ego minimè verecundus obibo partes, & Clericum Romanum edocebo, quæ ſint iſtæ Academiæ, Familiæ, Collegia Belgii, Galliæ, Italiæ, à quibus tanquam à manifeſtis Janſeniſtis,
Rigo-

Rigoriſtis tetricis ſibi ſedulò cavere debet, ne incautus ebibat virus, putans ſe bono doctrinæ lacte innutriri. An meus me fallat hac in parte animus, judicet Lector ingenuus & ſapiens; tu ipſe, Francoline mi, quæſo velis errantem revocare, cum tu meo præbuiſti anſam errori.

Academiæ illæ, Pariſienſis, Lovanienſis, Duacenſis ſunt: Familiæ illæ, Monachi Benedictini, Canonici Regulares, Dominicani, Auguſtinienſes, Minimi, Carmelitæ Diſcalceati ſunt: Collegia, Patres Congregationis Oratorii, Seminarium virorum Eccleſiaſticorum, qui Lutetiæ Pariſiorum excoluntur, ut tempore ſuo fructus ferant in Sinenſibus, & Japonenſibus miſſionibus. Temerè judicaſti, dices Francoline mi: non opinor. Iſtæ ſunt Academiæ, Familiæ, Collegia; aut pura putaque figmenta ſunt, à te ipſo, ut calumniam ſtrueres, pro arbitrio fabricata. Repones, quibus ductus conjecturis illud audes enuntiare? Mul-

tis,nec contemnendis. Ac,ne te Lectoremque ampliùs suspensum teneam animique dubium, has ipsas in medium profero.

Sacra Facultas Parisiensis non semel olim Sodalium tuorum libros censurâ inussit, ut illius Academiæ omnium facilè Academiarum principis acta litteris consignata testantur; in Amadæo & Casuistarum Apologista, quos atro notavit lapillo, Casuistas omnes quos benè nosti, & qui tuo palato haud displicent, contrivit, profligavit; nuper libros Sociorum tuorum *Le Comte* & *Le Gobien* de pura erroris Religione, bis mille & ampliùs annis, ante Salvatoris adventum, in vastissimo Sinarum Imperio, damnavit, proscripsit: nec tuos, nec tuorum auditores Philosophorum & Theologorum suum in gremium admittere unquam voluit, quantâ quantâ apud Galliæ Regem valeatis gratiâ, qui Sorbonam sic adamavit, ut ipsam noluerit unquam cogere, ut vos, vestrosque scholares suo dignaretur

retur gremio. Et sanè prudenter Academiæ splendori consultum: secùs enim actum erat de Sorbona. Hæc suspicionem faciunt non levem, tibi scribenti obversatam Sorbonam, Minervæ sacrarium, genuinæ Theologiæ armamentarium, arcem è qua pendent mille clypei in Religionis defensionem, in errorum confutationem, in sanctæ moralis disciplinæ patrocinium.

Lovaniensis & Duacensis Academiæ, Sociorum tuorum placita nupera, circa gratiam & Prædestinationem, fumantibus adhuc censuris gravibus & justis, annis 1586. & 1588. damnarunt, proscripserunt. Novella Laxonum probabilistarum dogmata, quæ tuo palato non ingrata sunt, instante Illustrissimo Domino Jacobo Boonen Mechliniensi Archiepiscopo, Sacra Facultas Lovaniensis damnavit, proscripsit. Utraque illa Facultas, uti pro focis & aris, gratuitam sanctorum prædestinationem, gratiam per se & ab intrinseco efficacem,

absolutam ejus necessitatem, in admittendis christianis operibus, profitetur, tenet, amplexatur; vagum probabilismum, in conflictu opinionum, quarum una minùs probabilis libertati favet, altera probabilior divinæ Legi patrocinatur, execratur cum Clero Gallicano, velut putidam scaturiginem monstrosarum omnium opinionum, quas novelli Casuistæ suo plùs justò indulgentes genio, se se invicem laudibus efferentes, Patres nunquam afferentes, nisi ut eos impugnent, aut eludant, aut eorum extenuent authoritatem vanis futilibusque diverticulis, in Ecclesiam asportarunt cum magno fidelium detrimento, cum ingenti Summorum Pontificum Alexandri Septimi, & Innocentii Undecimi planctu, cum gravi Ecclesiæ dedecore, & materiâ non levi subsannationis & irrisionis infidelium atque hæreticorum. Nonne hæc, quæ protuli, Francoline mi, suspicionem faciunt gravissimam, utramque Facultatem Lovaniensem, & Duacensem

censem à te carpi, lacerari, morderi, cùm Academias occulto morbo laborantes in Belgio prædicas? si quid tibi est candoris, illud profectò non ibis inficias.

Monachos Benedictinos præsertim Gallicanæ Congregationis Sancti Mauri indigitare te voluisse generali vocabulo familiarum, quæ Jansenismum ac Rigorismum redoleant, non diffitebitur certè qui legerit Epistolam personati Abbatis Germani (quem Danielem esse tuum, famosum illum in Galliis declamatorem docti quique Galli non obscurè Parisiis affirmant) ad Benedictinos Congregationis Sancti Mauri datam, in qua vocantur Benedictini in crimen manifestum Jansenismi, quia in postremo Sancti Augustini Tomo, quem ad manuscriptorum Codicum fidem accuratè castigarunt, miroque plausu docti omnes exceperunt, Jansenianam hæresim notis compluribus non profligarunt, quia loca non indicarunt quæ Molinæ gregalibus placent.

Cano-

Canonicos Regulares Sancti Augustini, imprimis celeberrimæ Congregationis Sanctæ Genovefæ, etiam à te Jansenistis ac Rigoristis accenseri fatebuntur profectò, qui sciunt virum pium, & doctum Sterlinum, cujus fides ac eruditio plaudente sæpiùs catervâ eruditorum Gallorum, qui Parisiis Theses quibus præerat, dignabantur præsentiâ suâ, Lutetiâ pulsum, Cathedrâ Magistrali orbatum, in exilium amandatum, ob injectam à vobis tritam ac familiarem Jansenismi accusationem; sed revera quia magnum contra Societatem patravit crimen: scilicet ausus est Canonicus ille clarissimus Disputationes Fratris Thomæ de Lemos evulgare, illo de opere sibi canere, & quod deterius est, illud ipsum opus Prædicatoriæ familiæ dare, dicare, consecrare. Certè qui hoc facit, plusquam Jansenista, plusquam Rigorista, plusquam Baianus judicio tuo censendus est.

Dominicanos, majori saltem ex parte,

parte, Jansenismi fermento esse inquinatos, non negabis, arbitror, Francoline, si quod corde geris, ore proferas. Et sanè tererem tempus, Lector benevole, si multis hoc vellem probare. Juvat tamen aliquot allegare testimonia invicta. Primum duco ex Ripaldâ Jesuitâ Tomo 2. disput. 118. sect. 9. num. 55. ubi hæc habet: *Bannes & plerique ejus discipuli in publicis disputationibus, privatisque sermonibus cœperunt notare illam sententiam* (Molinæ) *ut Pelagianam: Nostri è contra, ut notam Pelagianismi vitarent, objiciebant oppositæ notam Calvinismi.* Gratulandum Ripaldæ suo de candore. Porrò Calvinismus & Jansenismus in materia de prædestinatione & gratia omninò consentiunt, ut tui millies clamant Socii quâ voce, quâ scriptis, quâ palam, quâ clanculum. Alterum traho ex Goneto qui in Apologiâ Thomistarum adjectâ calci tractatus de Scientia Dei articulo octavo, ex professo à Domini-

canis

canis omnem Janſeniſmi ſuſpicionem depulit, ut eorum obſtrueret ora, qui dictitant Thomiſtas à Janſenii ſententiâ, nec quantùm latus unguis eſt, in diverſum abire. Poſtremum repeto ex nuperâ Epiſtolâ Gallicâ Danielis tui, qui bellas, ut quis non illepide dixit, viſiones videt & ſomnia ſomniat, ad Reverendiſſimum Patrem Antoninum Cloche totius Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum meritiſſimum datâ, per veredarium miſsâ, manu exaratâ, quamvis eo ipſo tempore typis cuſa Romæ viſa ſit; in quâ Reverendum admodum Patrem Hyacinthum Serry, Sorbonicum Doctorem clariſſimum, Academiæ Patavinæ Theologum Primarium, inſtituti Dominicani ſcriptorem elegantem juxta & doctum hæreſeos audet inſimulare, & in Janſeniſtarum albo reponere; &, quod ferendum minimè eſt, hortatur, pro ſuâ comitate & in Scholam Thomiſticam affectu ſummo, Reverendiſſimum Patrem Cloche,

che, ut dignetur aliquem è Familia sua Theologum eruditum deligere, qui Orbi litterario monstret, quid intersit discriminis Thomisticam inter & Jansenianam doctrinam, circa gratiam, & libertatem humanam. Quasi verò summus ille ætatis nostræ vates ignorare potuerit, Vincentium Baronium, Bernardum Guyart Doctorem Parisiensem, Gonetum, Dominicanæ Familiæ Professores lato demonstrasse calamo discrimina doctrinæ Thomisticæ à Janseniana; aut fortè eundem declamatorem latere potuerit, ipsos etiam Jesuitas non ignobiles ostendisse, Thomistas nullum cum Janseniana doctrina habere commercium. Gonetus in Apologiâ Thomistarum loco superiùs allegato hoc de argumento in Scholæ Thomisticæ defensionem profert luculenta loca Annati, Stephani des Champs, Martinoni, Stubrochii, Ripaldæ, qui omnes in Societate non ultimum tenent locum. Hìc possem boni senis Danielis consilium falsè lude-

ludere, ſed ſatis illum bene protelavit Theologus Patavinus, ſibique ac Scholæ Thomiſticæ illatas calumnias propulſavit.

Ad ſe me vocant Auguſtinienſes, Minimi & Carmelitæ Diſcalceati, qui Francolini ſententiâ haud dubiè in Janſeniſmi luto hærent, quòd gratuitam Sanctorum prædeſtinationem & gratiam per ſe efficacem mordicùs tuentur; quòd vagum probabiliſmum & infauſtos ævi noſtri probabiliſtarum Caſuiſtarum partus odio proſequantur. Sciunt complures naris non obeſæ homines, illos omnes qui à Francolini Sociis non ſtant, qui Moliniana placita acriùs inſectantur, derepentè Janſeniſtas, Baianos, Rigoriſtas evadere, quamvis & an fuerint aliquando Baius, & Janſenius ignorent.

Pleni ſunt libri non pauci criminationum Janſeniſmi & Rigoriſmi, in Presbyteros Congregationis Oratorii Jeſu; & in Miſſionarios Eccleſiaſticos ad munia vocatos Apoſto-

lica

lica in Sinarum Imperio. Quâ ex officinâ prodeant ejusmodi libri, probè tenent docti; clamant id in Ecclesia & in Republica benè administratâ haud esse tolerandum: fatentur viri omnes pii, & eruditi. Huic tamen malo non satis efficax adhibetur medicina, quòd in Authores illorum Libellorum, quibus piorum hominum existimatio patet æmulorum livori, convitiis, calumniis non diligenter inquiratur, aut de Authoribus Libellorum convictis debita pœna minimè sumatur. Si quas protuli conjecturas, Francoline mi, haud probas, do manum: aperias nobis modò, pro tuæ candore indolis, quæ sint illæ Academiæ, Familiæ, Collegia Belgii, Galliæ, Italiæ, in quibus est Jansenismus Theologia speculativa, Rigorismus moralis practica. Pag. 14 Epist.

Intereà quia multùm displicet tibi, Rigoristarum modus probandi allegationibus, & arridet tibi arguta novellorum mollium Casuistarum for-

formula; reſponde mihi, ſi placet, triplex dilemma proponenti in tritâ Scholæ formâ. Unde noſti tàm evidenter in Belgio eſſe quàm plurimos, non paucos in Galliis, aliquos in Italia Janſeniſmi, & Rigoriſmi morbo laborantes: unde tenes Academias, Familias, Collegia ſpirare Janſeniſmum, & Rigoriſmum in vaſtis Imperiis? vel id agnoſcit Eccleſia, vel non: ſi hoc ultimum, ergo plùs tu in muſæo incluſus vides, quàm Eccleſia: & quem te ipſum facis? ſi primum; cur Eccleſia illos Gallos, Belgas, Italos nominatim anathemate non ferit, ſi ab avita Religione deſciſcunt, ut in damnata Janſenii dogmata pedibus manibuſque deſcendant? Cur Eccleſia Doctores illarum Academiarum, Regulares illorum Ordinum, Sacerdotes illarum Congregationum cenſurâ non percellit, à ſe non reſecat, ſi nolint reſipiſcere? Quid ad hæc, Francoline mi? pudet cauſâ cadere, & mihi herbam dare.

Dein-

Deinde aut nescis, aut suspicaris, aut certò scis complures in Belgio, permultos in Galliis, aliquos in Italia, Jansenismum & Rigorismum olere. Si nescis, quâ inverecundâ & impudoratâ fronte teterrimam hæreseos criminationem Doctoribus, Sacerdotibus, Regularibus quâ pietate singulari, quâ eruditione variâ conspicuis affingis, imponis, Affricas? O scelus lacrymis deflendum sanguineis! ô reparationem famæ tibi faciendam, si vis salutem consequi æternam! Si suspicaris tantummodò quod tui similes spargere solent, dic, amabo sodes, ubi in sacrâ antiquitate comperies, fas esse ob suspicionem, hæreseos insimulare Doctores, Sacerdotes, Regulares, quos nobis repræsentas in facie sanctos, modestos, compositos, ecclesiasticè, in toto habitu comptos? Si certò scis; non minimam igitur mereris pœnam, qui Doctores illos, Presbyteros, Regulares nominatim Ecclesiæ non denuntias, justis castigandos suppliciis.

Quid ad hæc, Francoline mi? taces, adniteris ut ab eo te extrahas nodo; non potes. Da manus, retracta publicè veterem iſtam tuam cantilenam: revertere ad judicium, quia falſum teſtimonium locutus es adversùs multos Doctores, Sacerdotes, Regulares.

Poſtremò, aut Romanorum Pontificum Decretis ſubjaces, aut non: Non hoc ultimum; videris enim mihi religioſior, quàm ut Pontificium, & Eccleſiaſticum jugum velis excutere. Ergo ſi primum; cur Decreta Pontificum, prudenter ſancita, pacis Eccleſiaſticæ fovendæ causâ, violas effrænì licentiâ, conculcas, ne pili quidem facis? Calumniam tibi affingo, inquies, Decretum nullum Pontificium laudare potero, quo tibi & tui ſimilibus vetitum ſit, Doctores, Sacerdotes, Regulares, &, quod gravius eſt, Epiſcopos, infami Janſeniſtarum & Rigoriſtarum nomenclaturâ, ſine probatione juridicâ deturpare, denigrare, dehoneſtare, conſputare.

ſputare. Audi, Francoline mi, tu ſolus in Iſrael Rabbi, tu unus in Jeruſalem peregrinus, qui hæc Decreta Pontificia habeas incomperta? Summus Pontifex Innocentius Duodecimus, qui fœliciter Eccleſiæ clavum tenuit, multis ab hinc annis Decreto edixit, ne quis Janſeniſmi accuſaretur, niſi aliquam ex damnatis quinque Janſenii propoſitionibus propugnaret, vel defenderet. Jam penè malum extinctum eſt, nemo unus aliquam ex damnatis propoſitionibus apertè tuetur: quorsùm ergo vetera odia repetere, & ſopitam quæſtionem redintegrare? At Francolinum nihil remorantur Pontificia Edicta, ac Summo Pontifice perſpicacior Janſeniſticam extare ſectam in Belgio, in Galliis, in Italiæ locis aliquot deprehendit, & tubâ canit, ut Clericum Romanum ſomno gravem excitet, eumque moneat aureis hiſce verbis: *Cave ab iis qui non veniunt, ſed mittunt ad te Commentarios ſuos, Summas ſuas, Inſtructiones ſuas, Ri-* *Pag. 11 Epiſt.*

 goriſmum

gorismum suum. Pudeat Clericum Romanum Romanam Sapientiam dedoceri, edoceri peregrinam, tuam amittere, admittere suspectam, immò rejectam, ex Romano Clerico evadere Clericum Transmontanum. O schismaticam vocem, censuris gravissimis inurendam! O infortunatos Clericos Transmontanos, Francolini sententiâ! Eratis olim Clerici Romani, quia Romanæ Ecclesiæ omnium matris ac centri Ecclesiarum filii obedientes, nunc verò, proh dolor! si Francolinum emunctæ naris virum audiamus, Clerici estis solùm Transmontani, minimè autem Romani. Vestris satagite fletibus exorare Francolinum, ut ipsi libeat in Clerum vos admittere Romanum: si enim fuit inter laxitatis Magistros homo qui esset agnus Dei, & tolleret peccata mundi, ut nonnemo recentior arbitratus est; ne dubitetis, quæso, vos infœlices Transmontani Clerici, quin Francolinus aut suâ, aut suorum operâ non possit vobis Romani

Cleri

Cleri ostium reserare, & inter Clericos Romanos, vel illustri dignari vos loco. Id certè faciet Francolinus, si vestram de gratuita Sanctorum prædestinatione sententiam repudietis, & Suaresii Ecclesiastici Cœli luminaris magni opinionem amplexemini; si congruam in sensu Moliniano gratiam admittatis, & pro focis & aris propugnetis; si probabilitatem etiam vagam quæ libertati faveat, in pugna opinionis probabilioris Divinæ Legi patrocinantis deosculemini, suscipiatis; tandem si benigniores bonorum illorum Casuistarum, qui latiorem cœli viam nobis facere voluerunt, opiniones sectemini, totisque viribus propugnetis. Ædepol, si hæc præstatis omnia, potuistis esse anteà Baiani, Jansenistæ, quamvis nec unam illorum Authorum litterulam legeritis, eritis modò portento miro, quod Francolino suisque usitatum est, eritis, inquam, homines fidei illibatæ, Religionis erroris puræ, doctrinæ moralis sanctissimæ.

Quæ à me vobis proponitur conditio, depellendæ hæreſeos notæ cauſâ, vobis iniqua videbitur; amabitis magis Janſeniſmi criminationem ſubire, quàm avitam rejicere doctrinam, quam ex Sanctis Auguſtino & Thoma hauſiſtis: ſi hoc eſt, oleum & operam perdetis, in removendâ à vobis Janſeniſmi & Rigoriſmi notâ; eritis inviti, reluctantes, reclamantes, invincibiliter, infallibiliter, inſuperabiliter Janſeniſtæ ac Rigoriſtæ: & nemo poterit floſculis pigmentiſque rhetoricæ, dialecticæ argumentis, traditionis momentis oſtendere Francolino, ſuique ſimilibus vos eſſe erroris puros, hæreſeos Janſenianæ expertes. Sed, inquietis, nunquamne tanta temeritas comprimetur? an licebit ſemper cuilibet petulanti homini, decreta publica contemnere, & tranquillitatem Eccleſiæ in diſcrimen vocare? optant bonæ frugis homines, ut calumniatorum obſtruatur os, non ſperant fore ut tantum bonum in Chriſtiana republica ipſi videant,

videant, quandiu Francolinus, suique similes vitam agent; & quando sui similes nulli erunt? Exemplo itaque Christi Magistri vestri, qui Judæorum Gentiliumque opprobriis saturatus est, æquo feratis animo dicteria, convicia, opprobria, calumnias malignantium; nec sortis vestræ pœniteat. Prodeunt frequenter Libelli quibus magni nominis Antistites, ac cum primis Archiepiscopus Parisiensis Eminentissimus Cardinalis Noallius pietatis famâ conspicuus, doctrinâ haud vulgari coruscans, Ecclesiasticæ disciplinæ tenacissimus, in partem invidiæ vocentur. Quis enim in Gallis adeò peregrinus, qui nesciat appetitum Noallium, tanquam Jansenismi reum convictum, in Libello Gallico cui titulus, *Problema Ecclesiasticum &c.* qui supremæ Curiæ Parisiensis justissimo edicto tortoris manu publicè flammis absumptus est, confutatusque à viro doctissimo è Vasconia oriundo. Sed jam satis superque, Francoline mi, retudimus ca-

lumniam Gallis, Belgis, Italis, Doctoribus, Sacerdotibus, Regularibus generatìm affictam.

OBSERVATIO II.

Illustrissimus Genettus Vasionensis Episcopus à calumnia vindicatur.

E Re publicâ est, ut monstremus Francolinum iniquum se præbere Censorem Illustrissimi Genetti: ne verò dicat sibi me imponere calumniam, proferam verba ejus, quæ paucis excutiam. In epistola ad Clericum Romanum datâ, hæc scribit:

Pag. 15 Epist. *Si advertas eos....... Non afferre Decreta Beati Pii Quinti, & Successorum Constitutiones contra Baianas multas Propositiones, nec Alexandri Octavi contra similes assertiones Decretum, ut facit author recentissimæ Theologiæ, quam paucos ante dies legebam, suspicare vehementer, ne auctor ex illis sit,*

quos

quos deſcribebam antea, manifeſtos recentiorum, occultos Pontificum contemptores, & ſolius Auguſtini, ut ab ipſis exponitur, nempe ſui ſolius judicii adoratores; quique niſi timerent ſibi, candidè dicerent tibi, ubi inveneris doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè potes tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam. Hos proinde libros abjice. Ne autem Romano Clerico quem informat Francolinus, munitque à potando veneno Tranſmontanorum Clericorum, ignotus eſſet auctor ille recentiſſimæ Theologiæ, placuit ipſi, (adeò comis & urbanus eſt) eum nomine ſuo compellare Tomo ſecundo pag. 292. in ſignum effuſiſſimæ, quam erga Epiſcopos habet, reverentiæ. *Abhorrent ab his erroribus noſtri Doctores. DOCTOR DISCRETUS: at ipſi fortè non vident ſuæ doctrinæ conſequentias, ut certè eas non vidiſſe dicendus eſt Franciſcus Genettus in ſua recentiſſima Theologia Morali edita Pariſiis Anno* 1703. *Ex pluribus*

Tom. II Pag. 292.

ribus exemplis rigidissimæ ipsius doctrinæ, unde gravia sequantur absurda, unum afferam ex Tomo quarto tract. 6. de Sacramento Pœnitentiæ ubi cap. 5. quæst. 19. docet ad veram contritionem in hoc Sacramento requisitam; esse necessarium constans propositum, non inquit, propositum, sed constans propositum, idque debere innotescere Confessori antequam absolvat &c.

Peccasti, Genette Illustrissime Vasionensis Antistes, peccasti, nec leviter, contra Francolini Societatem, & meritam à te repetit pœnam. Moralem Theologiam adornas, & in ea nunquam Escobarii, Azorii, Sancii, Filliutii, Baunii, Tamburini, Amici, Lessii, Tanneri, Mascarenni, Castri palao, Caramuelis, Amadæi, Apologistæ Casuistarum nomina vel somniando memoras. Quod piaculum, quod scelus nullâ pœnitentiâ luendum! Obtrudes, audivi à viris bonis & doctis, in istis Auctoribus corruptissimas opiniones propugnari, plurimas assertiones scandalosas,

losas, seditiosas, divinæ legis & humani juris violatrices, quarum Catalogum texuere jàm pridem piissimi & doctissimi Parochi Rothomagenses ac Parisienses, nostrisque temporibus Gonetus in dissertatione theologica de probabilitate. Esto; illorum tamen opera scriptorum non sine honorificâ nominis mentione laudare interdùm debebas, si Rigorismi & Jansenismi notam devitare optabas. Non fecisti; eris in æternum & Jansenista & Rigorista, immò Rigoristarum rigidissimus, si Francolino suique similibus fides adhibeatur. Sed iterùm dices, Ambrosios, Hieronymos, Augustinos, Gregorios, Thomas Aquinates, Raymundos, Antoninos, veteres Pontifices in mearum defensionem resolutionum moralium semper advocavi, loca semper vel sacræ Scripturæ, vel Summorum Antistitum, vel Sanctorum Patrum laudavi, quibus meum firmarem sensum; an cum illis morales definiens casus, Rigorista & Jansenista ero? Eris haud

Tom. II Pag. 189. &c. haud dubiè. Obſervare quippè debebas cum Francolino Tomo ſecundo paginâ 189. & ſequentibus, in re morali, lumen naturæ & rationem plurimùm valere, veteres Patres ſiluiſse innumeras quæſtiones, quæ modò agitantur in Scholis, & quidem ſapientiſſimè & neceſsariò pro conditione horum temporum; Patres non quærere an hoc licitum ſit, an illicitum: vel ſi licere, aut non licere dicunt, non edocent, an ex naturâ ſua & ſemper ſit illicitum, an ex iis, quæ ordinariò rem illam circunſtant; nec circunſtantias ipſas diſtingunt, ſed actionem, exempli gratiâ, aliquam damnant, invehuntur in eos qui non abſtinent: aliquando Patrum reſponſa reſpicere eorum temporum Canones, qui modò non vigent.

Tom. II Pag. 191. Obſervare debebas cum Francolino Tomo ſecundo pag. 191. *quod hæc eſt noſtrorum temporum laus magna, hæc noſtra fælicitas, ut vix ullum modò poſſit in moribus dubium incidere, vix ulla quæſtio proponi, cui reſpon-*

respondéri facilè non possit ex iis quæ à nostris Doctoribus agitantur.

O igitur (inquies Genette) infœlicissima Apostolorum & Patrum tempora, quibus hæc laus magna defuit nostrorum temporum! Concedet Francolinus : quid tum ? debebas consuetudini morem gerere, implere pagellas moralis tuæ doctrinæ nomenclaturis juniorum Casuistarum probabilistarum ; non fecisti, repeto, eris in æternum & Rigorista & Jansenista. Sed (repones fortè) Theologiæ Moralis meæ cursus Eminentissimum & doctissimum habet præconem Cardinalem Le Camus Episcopum & Principem Gratianopolitanum, virum quem pietas, doctrina, zelus, austera pœnitentia ad purpuram extulerunt ore Innocentii Undecimi, sanctissimi optimique Pontificis ; à Cardinali Grimaldi piissimò Aquensium Archiepiscopo non semel probatus est ; illius doctrinam tutam, sanam, veram attestatus est Sacri Palatii Apostolici Magister Capisuchus,

quem

quem deinceps ingentia merita ad Purpuram ſublimarunt ; illum curſum & Galli & aliæ gentes magnis extulerunt præconiis, & quod dictis majus eſt, qui fœliciter regnat ſedetque in Cathedra Petri Clemens Undecimus Pontifex edi juſſit opus meum Venetiis in Clericorum utilitatem : an fieri poteſt, ut opus tot honorificis titulis munitum Rigoriſmi & Janſeniſmi doctrinam ſapiat? Sapiet profectò Francolini ſententiâ : is enim in charactere Janſeniſmi dignoſcendo nemine inferior eſt. Eris igitur Janſeniſta & Rigoriſta. Quam ob rem ? Multis de cauſis. Dic unam, rogo te. Quia ex Francolino conſtans requiris propoſitum, ut relapſus licitè abſolvatur. Proh ſuperi ! an hæc cauſa unquam Janſeniſmi & Rigoriſmi legitima fuit ? Nonne pii omnes, doctique in eo conſentiunt, differendum eſſe interdiu Sacramentalis abſolutionis beneficium iis, qui pluries in eadem peccata gravia labuntur, & longo peccandi mor-

mortaliter habitu implicantur; ut dignis pœnitentiæ fructibus Confessario innotescat, an propositum abstinendi à peccato sit verum, sincerum, germanum, constans, non futile, non umbratile, non fictitium? Fateor, ea in re conveniunt omnes sancti, eruditi, prudentes homines; at quid facies, id Francolinus pernegat, & absurdissima inde consectaria deducit, quæ nonnisi à Rigoristis & Jansenistis dari possunt, & ideò, velis, nolis, Jansenista & Rigorista eris. Hoc pacto solùm si Rigorista & Jansenista sum, gaudeo vehementer, mihiqne multùm gratulor, quòd omnium Academiarum Doctores eximios, Ecclesiarum omnium Præsules doctos, omnium Ordinum Regulares pios habeam sodales; solos habeam Francolinos osores, hostes, adversarios.

Quandoquidem autem, Francoline mi, in Appendice ad Tractatum de dolore ad pœnitentiæ Sacramentum sufficienti spondes, te pleniorem Vasionensium

ſionenſis Antiſtitis Theologiæ Moralis notitiam daturum, hiſtoricâ methodo; pleniorem & nos hujus argumenti tractationem in alteram tempeſtatem mittimus: experiemurque melior ne Hiſtoricus ſis, quàm Pædagogus. Interea præſtat breves iſtas in opus tuum obſervationes proſequi, quò innoteſcat omnibus quanto in pretio eſſe debeat.

OBSERVATIO III.

Francolinus injurius Eccleſiis Græcæ, Africanæ, Gallicanæ, Sanctis Patribus, Conciliis Provincialibus, Summis Pontificibus, & clariſſimis ætatis noſtræ Scriptoribus.

PRimò quidem animum pulſant meum, Francoline mi, verba tua in Præfatione numero quinto, ubi de Merbeſio & Juenino agens ſcribis:

Calori

Calori disputationis tribuatur, si quid *Præf.*
excidit, quod minùs reverenter dic- *num. 5.*
tum videatur. Ubi enim hoc præfatus es, audacter ais Tomo secundo
paginâ 290. erraſse Jueninum, quòd *Tom. II*
in Sancti Thomæ lectione omninò sit *Pag.*
peregrinus : tum ad hanc Juenini 290.
conclusionem dissert. *6.* quæst. *9.* cap. 4. art. 7. de pœnitentia, *qui mortaliter peccarunt ex consuetudine, non debent absolvi, nisi multo ad viri prudentis judicium tempore, conversionem operibus probaverint* : exclamabundus
ais Tomo secundo pag. 291. num. 25. *Tom. II*
Legis conclusiones horridas, nec exhor- *Pag.*
rescis? Conclusiones crudeles in mise- 291.
ros peccatores, nec mali quidquam sus- *num.* 225.
picaris? Gratulor tibi, Francoline, quòd delibatâ illâ tuâ caloris disputationis præfatione poteris mordere, lancinare, lacerare sine ulla etiam animi labecula Scriptores famosos, pios, doctos, qualis est Pater Juenin Oratorii Gallicani Presbyter, & in Seminario Eminentissimi Cardinalis de Noailles Archiepiscopi Parisien-

 sis,

ſis, Sacræ Theologiæ Profeſſor, quo munere, plaudentibus piis & doctis, frementibus æmulis, multos annos perfunctus eſt.

Opus legendo tuum, ſæpe demiratus ſum, à te proſcindi, conſputari, dilacerari Sanctos Patres, imprimis Sanctum Cyprianum, graves ævi noſtri Auctores, Concilia priſca Provincialia in Eccleſiâ ſemper recepta, illuſtres Eccleſias veteres, Africanam dico, Gallicanam, Orientalem, quæ tuo judicio fœtidum ſemper conſectatæ ſunt Rigoriſmum, utì liquet ex Epiſtolâ tuâ ad Clericum Romanum datâ paginis 3. 4. & 5. nam ex te ibidem ſoli Romanæ Eccleſiæ nunquam ſpiritus rigoris impoſuit. Ut quod res eſt candidè tibi aperiam, ea agendi ratio illicò paulò meum commovit ſtomachum: verùm deinceps, Deo benè fortunante, meam accuſavi barditatem, culpavi imperitiam: ſcilicet non advertebam illâ ſcribendi formulâ te ne venialiter quidem peccare; non enim, ut arbitraris,

ris,

ris, venialis admittitur culpa, *cum calori disputationis tribuitur, si quid excidit, quod minùs reverenter dictum videatur.* O bellum & commodum Theologiæ Moralis principium, cujus ope author etiam ad miraculum satyricus tutam potest ab omni linguæ culpâ vitam servare! O perutilem intentionis directionem, quâ vitia in rudibus, in doctis peccata esse desinunt! Cœcutit ille prorsus, qui hoc inventum à recentioribus probabilistis Casuistis subtrahit, ut illud Sanctis Patribus adjudicet. Hæc est igitur (exclamare hîc liceat) *Fœlicitas nostra, hæc laus magna,* (ut observat Francolinus) *ut nullum in moribus dubium incidere possit, cui responderi facilè non valeat ex iis, quæ à nostris Doctoribus agitantur.*

Præf. num. 5

Tom. II Pag. 191.

Salsè me ludis, (inquiet Francolinus,) calumniam obtrudis; Sanctos Patres, graves temporum nostrorum Scriptores, Synodos priscas Provinciales receptas, Ecclesias veteres, Orientalem, Africanam, Gallica-

nam appetii nunquam probris, nunquam dente cruento lacessivi. Istud ire inficias audes, Francoline mi? res facti est: proferam verba tua, quibus vel invitus fateberis, nihil me tibi falsum affingere. Responde quæso, Francoline mi: nonne in famosâ illâ tuâ ad Clericum Romanum datâ Epistolâ pag. 3. hæc verba legere est?

Epist. Pag. 3. *Ut Africanam Ecclesiam, ita Græcam nimius quorumdam rigor non semel perturbavit.* Nonne ibidem pag. 5. hæc

Ibidem Pag. 5. scribis: *Ab Africâ & Græciâ in Gallias & finitissimas regiones rigor iste nimius transmeavit?* Nonne ibidem

Ibidem Pag. 2. pag. 2. hæc chartæ mandas: *alias quidem Ecclesias, nec paucas, aliarumque Ecclesiarum Doctores, Episcoposque nimius quandoque rigor decepit?* Nonne passim in opere tuo Episcopos Gallicanos universim vocas crudeliores? Do manus, inquies, non idcirco tamen à me Ecclesiæ illæ traducuntur, deprimuntur: illas colo, veneror illas. Dic mihi quæso, Francoline mi: an malum est in Ec-

clesia

clesia gravius Rigorismo, quo in desperationem aguntur miseri peccatores? Judicio tuo Rigorismus malorum summa est; benignitas bonorum compendium est: benè mi sodes: ergo qui Ecclesias Orientalem, Græcam, Africanam, Gallicanam Rigorismi erga peccatores accusat, illas deprimit, traducit. Haud diffiteor, inquies, sed calori disputationis tribuendum id minùs reverenter dictum. Bona verba: quia ergo sanguis fervet in venis etiam dum scribis, Francoline mi, poteris inculpatè illustriores Orbis Ecclesias (Romanam excipio) sale nimio defricare? id tibi vitii libens ego condono; sum enim amans benignitatis erga Francolinum cum primis pœnitentem, osor sum Rigorismi erga fideles suâ sponte peccata confitentes sua: at non omnes hanc tibi facilè ignoscent culpam: conclamabunt, actum est de Ecclesia si cuique homini privato liceat impunè insignioris Orbis Christiani Ecclesias suis cum Episcopis dehonestare,

re, deturpare norâ Rigorismi. Ut ut sit, dic mihi candidè, Francoline mi, quâ ratione ita te gessisti? an quia Rigorismi species animo tuo obversata te transversum agit, inhibetque ne probra tenere valeas? an quia illarum in speciem Rigorismus Ecclesiarum, obstare videbatur illi nimiæ erga miseros peccatores benignitati, quam totis nervis in Romanam Ecclesiam optas invehere? an quia vis ulcisci injuriam benignis junioribus Casuistis illatam à Clero Gallicano, qui anno 1700. molliores recentiorum laxonum Casuistarum propositiones acri censurâ inussit? Eâ si permotus causâ, Francoline mi, identidem Clerum Gallicanum crudelitatis damnas, mirari non subit; capio nullo negotio, quod amanti nimiam benignitatem tetricus videatur qui illam acerrimo inurit cauterio. Sed hac de re satis superque.

Veniamus amabo te, ad Sanctos Ecclesiæ Patres. Eorum neminem onerasti convicio? Neminem. Pace

tuâ

tuâ dixerim, ſplendidè mentiris. Non unum vel alterum, ſed omnes vellicas, traducis. Quod ut fatearis bonâ fide, profero verba tua hinc inde in opere tuo ſparſa, quæ huc faciunt. A Tertulliano orationis meæ duco exordium. Tomo 1. pag. 322. de Tertulliano hæc ſcribis: *Is Doctor in hac materiâ* (de pœnitentiâ ſermo eſt) *ſemper ex nimio rigore aut erravit, aut ad errorem inclinavit; proinde audiendus non eſt.* Nonne hoc eſt putidum convicium? Tertullianum Catholicum pro Eccleſiæ diſciplinâ de pœnitentiâ ſcribentem Rigoriſmi accuſas! Quis hoc ſcripſit, quis hoc audivit? Magnus mihi eris Apollo, ſi vel unum doctum piumque hominem in tui patrocinium potes allegare. Sed Tertullianum mittamus, qui ætate affectâ caſtra Eccleſiæ deſeruit, ut vexilla ferente Montano Eccleſiæ Matri ſuæ bellum indiceret.

Tom. I. Pag. 392.

Ad Sanctum Cyprianum tranſeamus Africanæ Eccleſiæ jubar ſplendidum,

dum, martyrem ſanctiſſimum, cujus ſæpè meminit Sanctus Auguſtinus cum præfatione honorificâ ſuis in ſcriptis adverſus Donatiſtas. Tomo primo pag. 236. Sancti Cypriani *ferale Decretum* vocas, quo canonicorum criminum reis in ſupremo vitæ diſcrimine abſolutio Sacramentalis in Africa negabatur, ſi in infirmitate ſolùm pœnitentiam poſtulabant. Ubi eſt pudor, Francoline, appellare *ferale Decretum*, quod à Sancto Cypriano, à Sanctis Eccleſiæ Africanæ Præſulibus extorſit temporis & lapſorum neceſſitas? Siccine revereris Patres, ſiccine colis martyres? Dic rogo te, quis Author catholicus Africanæ Eccleſiæ decreto, quo de agimus, *ferale* illud epithetum tribuit? neminem novi, tu unus es qui epithetum illud tuo marte inveniſti.

Tom. I. Pag. 236.

Tomo ſecundo pag. 180. de Polycrate ac Cypriano verba faciens ſcribis: *Ille Schiſmaticus ſemper, hic aliquandiu fortaſſe.* O convicium flammâ vix eluendum! ô tempora! ô mores!

Tom. II Pag. 180.

mores! Francolinus Societatis Theologus, Clerici Romani Pædagogus, ſanctum Cyprianum aliquandiu Schiſmaticum vocat: quis hoc crederet! Audi Francoline ſanctum ipſum Cyprianum ſcribentem ad Jubaianum: *Nos* (inquit) *quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum Collegis & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus concordiam & dominicam pacem tenemus: ſervatur à nobis patienter & leniter charitas animi, honor Collegii, vinculum fidei, concordia Sacerdotii.* Illa ne ſunt verba hominis Schiſmatici? Audi ſanctum Auguſtinum lib. 5. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 25. *Stephanus* (inquit) *abſtinendos putaverat qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere niterentur: iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctis charitatis viſceribus largiſſimè præditus in unitate cum eis manendum duxit, qui diverſa ſentirent: ita quamvis commotiùs, fraternè tamen indignarentur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus*

cordibus eorum , ut nullum inter eos schismatis malum oriretur. Cui major fides adhibenda ; utrum sancto Augustino rotundè asseveranti Cyprianum schismate non laborasse ; an Francolino illud in dubium malignè vocanti , ut petat sanctum Cyprianum, quòd nimiæ, quam tuetur, benignitati erga pœnitentes è diametro adversetur ?

A Sancto Cypriano , ne longus sim , gradum facio ad sanctum Carolum Borromæum de cujus Instructio-
Tom. II Pag. 216. nibus Tomo 2. pag. 216. sic loquitur Francolinus : *Brevi videbis , cui negotium facessant istæ Instructiones. Mihi certè faciunt nullum. Scio ab aliquibus demptum aliquid authoritatis illis fuisse , eo quod Sanctus Præsul , initio sui regiminis , adeoque ætate & sapientiâ immaturus , ut ipsi dicebant , eas composuisset. Id ego non asseram , sed illud potiùs , fuisse illas , si quid rigoris habent , aut præ se ferunt , remedium eo tempore , eisque in regionibus necessarium.* Quid agis , Francoline

coline, putas emunctæ naris viros non percipere abs te ſubtiliter traduci Sanctiſſimum Eccleſiæ Mediolanenſis Paſtorem? Falleris oppidò. Futilis eſt adjectio iſta rethorica, *id ego non aſſeram.* Qui alienum vitium negotio ſuo accommodatum narrat, nec refellit, cenſendus eſt probare, quidquid ore tenùs in contrarium dicat. Reſponde quæſo huic dilemmati: aut verum eſt quod de ſancto Carolo Borromæo narras, aut falſum & injurioſum: ſi primum, quare illud non aſseris? ſi alterum, quare falſum Sancto Carolo injurium profers, ac ne uno quidem verbulo confutas? Sic Clericum tuum Romanum edoces, excolis, informas? Sic ipſi laqueos ſtruis, quibus capiatur? ſic veritatem ſiles neceſſariam? artes tuas, tuique ſimilium probè novi. Non audes apertè ſanctiſſimum Paſtorem arietare, clanculùm, ſubdolè, ſubtiliter petis, cùm ut juſtam cenſuram devites, tùm ut virus propines tuum incautis & imperitis Lectoribus.

Deinde

Deinde ut quid loco ſuperiùs allegato Mediolanenſium vitia immaniter exaggeras, quibus comprimendis pernecesſarium & opportunum remedium fuerint illæ Inſtructiones ſancti Caroli Borromæi? Cenſes noſtris temporibus opus non eſſe hiſce aureis tanti Paſtoris inſtructionibus? à vero aberras, Francoline mi, Clerus Gallicanus in Comitiis non ſemel typis dari juſſit Inſtructiones ſancti Caroli Latinè ac Gallicè verſas, imperavitque ſingulis Confeſsariis, ut illis tanquam ſanctiſſimis regulis ad animarum piam adminiſtrationem uterentur. Quotquot in Italia ſunt pii, doctique Præſules, illarum ipſarum ſancti Caroli Inſtructionum lectionem præcipiunt. Si auderes, illorum Eccleſiæ Paſtorum agendi rationem propalam ſalsè illuderes, conculcares; at politicus haud eſses, ſi ita te gereres. Quid itaque facis? Innuis dexteriter ſola immania Mediolanenſium vitia, quæ multis repræſentas & exaggeras, impuliſse ſan-

ctum

ctum Pastorem , ut Instructiones plusculùm severas Confessariis daret: supponis ætate nostrâ minimè vigere vitia quibus ævo sancti Caroli Mediolanenses tenebantur: subtiliter relinquis Lectori concludendum, temporibus nostris opus haud esse Instructionibus sancti Caroli ad Confessarios & pœnitentes. Sic perpulchrè informas Clericum Romanum: sic perbellè illum totum fingis ad benignitatem, à qua tibi videtur abhorrere austerus sancti Caroli Borromæi animus.

Tomo secundo pag. 113. 114. 115. & 116. Patres omnes uno ictu prosternis, ab eorum lectione studiosos avocas, evolvendis junioribus Theologastris operam dare ipsos multis cohortaris. *Ut causam scias*, (inquis, pag. 113.) *cur recentiores tàm sæpè laudem, dicamque, non quidem præferendos eos esse veteribus, id enim nunquam dicam, sed eorum scripta boni aliquid continere, quo vetera carent. Sic boni aliquid & utilitatis continet equus,* *Tom. II. Pag. 113. & seqq.*

equus, quo caret homo; unde aliquando utilior eſt ille, non inde tamen eſt homine præſtantior. Enumero jam recentiorum utilitates. Quò collimant, amabo te, illa tua verba? Si verum audes proferre, eò tendunt, ut Clerici Patrum Lectionem omittant, probabiliſtarum juniorum Caſuiſtarum libros diu noctuque verſent. Damnabis me calumniæ: audi, luculenter evinco quod dixi, argumento ad hominem. Qui ſæpè dicit, in more hæreticis & Janſenianis eſſe implere pagellas teſtimoniis Patrum, nunquam verò juniorum Theologorum auctoritatibus; qui Lectionem Patrum commendat nunquam, ſæpenumerò juniorum Caſuiſtarum Lectionem ſummis effert encomiis; qui ait utiliorem eſſe juniorum, quàm veterum lectionem; qui docet Patres ſigillatim quæſtiones morales non attingere, juniores contra nullum prætermittere dubium quod ſuboriri poſſit de Conſcientiæ Caſibus; qui paſſim probat Patres habere multa quæ
ſuis

ſuis tantùm temporibus conveniunt, juniores contra decidere ſecundùm præſentis Eccleſiæ inſtitutum ; ille profectò dexteriter avocat Clericos à lectione veterum Patrum, addicit autem lectioni novellorum Caſuiſtarum : atqui hæc omnia paſſim non tantùm ais, imò quantùm in te eſt, multis probare contendis : ergo avocas Clericos à Lectione ſanctorum Patrum, mancipas verò lectioni novellorum Probabiliſtatum. Argumentum in ſcholæ formâ non peccat ; longum equidem eſt, at non potuit paucioribus verbis contrahi ; à te Magiſtro in Iſrael non efflagito ut memoriter reddatur, illud unum poſtulo, ut ſolvatur. Diluere illud nullo diverticulo poteris. An negabis majorem propoſitionem ? Sed illa tantâ pollet evidentiâ, ut qui eam propoſitionem ibit inficias, cæcutiat oportet in luce meridianâ. An negabis minorem ? non potes, illa enim ipſa minor ex principiis & concluſionibus à te poſitis & probatis conſtat.

conſtat. Supereſt conſequentia quam fortè negabis, ſed jam te præmonui argumentum eſse in formâ, idque nemo negare poterit qui vel à limine dialecticam ſalutaverit.

Ex dictis conſequens eſt, nihil obtinere Francolinum, cum putat animum malè affectum erga Patres in causâ quæſtionum moralium tegere; qui enim habent narem non obæſam, neque Batavæ ſunt auris, haud ægrè intelligunt, illum in animo habuiſse, avocare Clericos à lectione Patrum, adjungere illos ſtudio juniorum Caſuiſtarum probabiliſtarum.

Deinde in rebus moralibus decidendis, non dicis, Francoline, eſse præponendos juniores veteribus. Quare non dicis, quia non audes: nec enim te latet quantùm exſibilatus fuerit junior Caſuiſta, qui ſcribere non erubuit, in Caſuum reſolutione majoris eſſe ponderis authoritatem juniorum Caſuiſtarum v. g. Filliutii, Tamburini, Caramuelis, Baunii, Buſembaum, &c. quàm veterum, exem-

exempli causâ Cypriani, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Gregorii Magni &c. Verùm hoc ipsum ex positis à te principiis spontè fluit. Præterea si putas anteponendos esse veteres junioribus, quare hoc assertum rotundè non ponis in tuo scripto; quare illud multis non probas, ut pro virili destruas pravam quorumdam mollium Casuistarum praxim, qui Patres nunquam laudant, se se tantùm invicem in cœlo ponunt? Stomacharis, inquies Francoline mi. Fateor; commovet me multùm tua agendi ratio, nec ego tantùm commotus lectione tui operis fui, sed qui vel paucas tantùm legerint pagellas, ab ira & indignatione adversùm lucubrationem tuam temperare non poterunt. Sed revertamur ad propositum, & ostendamus quâ viâ subdolum consilium tuum firmas & probas.

Tomo secundo pag. 113. inquis Francoline mi, *Certa sunt juniorum scripta, innumera veterum dubia, ut legenti Cardinalem Bellarminum de Scriptoribus* *Tom. II Pag. 113.*

D

ptoribus Ecclesiasticis constabit. Quid extundis ? non audes inferre conclusionem ? ergo cùm certa incertis esse anteponenda prudens quisque judicet, pluris facienda est juniorum Casuistarum, quàm veterum Patrum authoritas. Quasi verò non extet critica disciplina, quâ certi Patrum fœtus ab incertis distinguntur momentis achilleis ? quasi verò vetus scriptum ab Ecclesia semper receptum suâ decidat authoritate, quòd illius author non sit omninò constans & exploratus ? Ibidem inquis, *Quæ certò sancti Doctoris sunt, fuerunt non semel, aut hæreticorum astu, aut culpâ exscribentium, corrupta.* Quid tum ? an Patrum monumenta minoris fieri debent ac evolvi minùs impigrè, quàm recentiorum ? O futilis illatio ! quasi verò & Facultates Theologicæ Christianissimæ, imprimis Lovaniensis, Duacensis, &c. & Congregatio Gallicana sancti Mauri Ordinis sancti Benedicti pietate juxta & doctrinâ illustris, & viri absolutè docti, neque

que vulgaris pietatis, Patrum editiones à mendis circa fidem & mores quæ hæreticorum astu potuerunt irrepere, non curaverint, & in dies, summo cum reipublicæ litterariæ commodo, non adornent? quasi verò sanctorum Patrum editiones quæ in regionibus catholicis evulgantur, non subjaceant virgulæ censoriæ Præsulum Dioecesanorum, ut si quid hæreticorum fraude, vel exscribentium oscitantiâ contra fidem & mores invectum est, expungatur.

Sed addis ibidem pag. 114. *Fit sæpe, legi in fronte veterum librorum, tractatus de &c. ab innumeris mendis quæ irrepserant, expurgatus.* Quid inde concludis? an minùs utilia sunt sanctorum Patrum monumenta, quàm juniorum Authorum Casuistarum scripta? Id tu non obscurè pertendis ut patet ex loco superiùs allegato. O cornutam consequentiam! Nonne vides illa omnia errata à quibus in dies purgantur veterum libri, esse menda vel typographorum, vel Amanuen- Tom. II Pag. 114.

ſium, quæ fidem aut mores non ſpectant, quæque nullum faceſsunt negotium Lectoribus, qui vel minimo pollent ingenio, aut tantillâ donantur eruditione? Præterea ſi quid alicubi eſt ſcrupuli, illud omne diluitur ſcholiis & notis, quibus Patres illuſtrantur.

Tom. II Pag. 114. Reponis ibidem pag. 114. textum clarum præferimus textui obſcuro: recentiorum textus omninò clarus: Patrum textus ſæpe obſcurus: unde ſcholiis non rarò illuſtrantur Patres: ergo recentiores veteribus ſunt anteponendi. O vanam Francolini argutiam! Primùm ſi quid concludit argumentum, id ſanè concludit, ut recentiores præferamus antiquis, quod tu oretenùs pernegas. *Tom. II Pag. 113.* Deinde ſi quid inde extunditur, id certè conſequens eſt, etiam in cauſis fidei textus perſpicuos recentiorum, eſse anteponendos textibus Patrum; quia recentium textus veterum textibus ut plurimùm ſunt clariores: quod conſectarium non audebis profectò admit-

tere.

tere. Præterea si quid est in Patribus obscuritatis, continuâ eorum lectione, collatis hinc inde variis de eodem argumento locis, illud omne negotio nullo exsuflatur, & veritas nuda ferit animum legentis nullo præjudicio circunventi. Tandem textum clarum præferimus obscuro, quando uterque ejusdem est ordinis; secùs quando sunt textus diversorum ordinum: porrò sanctos Patres ordinis esse longè præstantioris præ novellis Authoribus, nemo sanæ mentis, Catholicus nemo ibit inficias. Cœlum tonat, ranæ taceant. Audi, Francoline, sanctum Bernardum Epistolâ 174. scribentem: *Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculosè præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit; nec verò id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omninò diligentiam præteriisse.*

Tomo secundo ad calcem pag. 114. cum sanctis Patribus recentiores Theologos conferens Francolinus scribit: *Tom. II Pag. 114.*

Horum lectionem esse subinde tutiorem, utpotè eorum qui scripsêre cum timore censuræ, & post longam censuram suorum librorum, & alienorum....... legendi potiùs quàm veteres, quorum scripta ex quadam erga ipsos reverentiâ non emendantur, quamvis ambigua multa & periculosa, imò falsa contineant, aliena videlicet & supposita. O puniendæ vocis temeritatem! O verbum totius superbiæ! Doctrina sanctorum Patrum, quos Ecclesiæ Deus dedit Pastores, & Doctores, quos Ecclesia nunquam non coluit Magistros, quos Pater luminum cœlitùs afflavit, ut fideles docerent veritatem; illorum, inquam, doctrina Patrum aurea, cœlestis, admiranda, minùs est tuta, quàm doctrina juniorum, v. g. Molinæ, Lessii, Valentiæ, Escobarii, Tamburini, Filliutii &c. qui in Societate famam obtinent doctrinæ sanæ? quis talia fando temperet à lacrymis. Scribunt (inquis, Francoline mi) Moderni *cum timore censuræ, & post longam censuram*

Tom. II Pag. 114.

censuram suorum librorum; veterum, scripta ex quadam erga ipsos reverentiâ non emendantur. Ergo recentiorum doctrina est tutior veterum Patrum doctrinâ. Quasi verò censuræ metus, aut censorum calculus impediant, ne in dies evulgentur libri etiam à catholicis authoribus editi, erroribus scatentes. Appello hìc exemplum Apologistæ Casuistarum, & Amadæi Guimenii. Uterque Scriptor metuebat, aut saltem metuere debebat censuram: uterque habuit suffragatores, imò & paranymphos suorum operum: uterque scripsit libros erroribus & laxitatibus horrendis plenos: uterque à Sorbona proscriptus, à plerisque Gallis Episcopis damnatus, à Romano Pontifice Alexandro Septimo perculsus anathemate. Mitto innumera exempla, ne longus sim.

Cogor afferre verba Alexandri Septimi Summi Ecclesiæ totius hierarchæ, necnon Mutii Vitelleschi Societatis Jesu Præpositi Generalis, ut sibi caveat Romanus Clericus à lectione

quorumdam juniorum Casuistarum, quos Francolinus Tomo secundo pagin. 119. his verbis mire commendat; *Multos hi, eosque uberes edidêre tractatus, innumeras in iis conclusiones habent, sanas, certas, communes; PAUCÆ ALIQUOT propositiones aliquibus exciderunt non satis tutæ, laxiores etiam &c.* E contra Alexander Septimus in Decrero adversus laxas Casuistarum juniorum opiniones lato feriâ 5. die 24. Septembris 1665. sic præfatur: *Sanctissimus Dominus Noster audivit, non sine magno animi sui mœrore, COMPLURES OPINIONES Christianæ disciplinæ relaxativas & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas, iterùm suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit, alienus omninò ab Evangelicâ simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ, & quem, si pro rectâ regulâ fideles in praxi sequerentur,*

Tom. II pag. 119.

querentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Et Mutius Vitelleſcus in litteris datis anno 1617. quartâ Januarii ad Præfectos Societatis hæc habet : *Nonnullorum ex Societate ſententiæ, in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plùs nimiò liberæ non modò periculum eſt ne ipſam evertant, ſed ne etiam Eccleſiæ Dei Univerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntve, minimè hac regulâ & normâ in delectu ſententiarum utantur : tueri quis poteſt, probabilis eſt, Auctore non caret : verùm ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum majoriſque nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queant, non vaſtare, non perdere. Quoniam verò conſtitutiones, decreta, regulas probè callent de ſancto Thoma ſequendo, de non provehendis ad Cathedras, aut etiam removendis, qui ejuſmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere*

habere præ se ferunt, præsertim si novitatum amantes deprehendantur, qui nullâ ratione sunt ferendi; reliquum præterea mihi nihil est, nisi ut hæc ipsa serventur, ut maximi res momenti, quàm ardentissimè possum urgere. Brevi reformaretur mundus, qui ex licentiâ opinandi in præceps ruit, latissimam viam ingrediendo, quæ ducit ad perditionem.

Modicæ suæ Patrum æstimationi *Tom.II Pag. 116.* coronidem apponit Francolinus Tomo secundo pag. 116. *Fit quartò horum* (recentiorum) *libros continere eruditionem longè majorem, uberiorem doctrinam, nostrisque usibus magis accommodatam. Et primò continent eam totam quam veteres continent, & rursùs eam quam addiderunt innumeri, qui post antiquos Doctores per decem & ampliùs sæcula scripserunt; ac tandem eam, quam ipsi improbo labore compararunt &c.* Hîc liceat mihi cum sancto Hieronymo Epistolâ 48. in Sabinianum exclamare: *Proh nefas! non possum ultrà progredi. Prorumpunt*

rumpunt lacrymæ antequam verba, & indignatione pariter ac dolore in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demosthenes? nunc profectò muti eßetis ambo. Inventa est res, quam nulla eloquentia explicare queat; repertum est facinus, quod nec mimus fingere, nec scurra ludere, nec Atellanus possit effari. Viderint æquissimi & religiosissimi fidei Quæsitores, quibus verbis par sit propositionem adeò temerariam, scandalosam adeò, adeò falsam proscribere, eliminare, repudiare. Tu, Lector candidè, lege, si placet, hac de re Gonetum in dissertatione theologicâ de probabilitate, ubi ex professò insolens illud assertum graviter castigat, irridet, profligat: huc te remitto, ne actum agam, & brevitatis propositæ fines transiliam.

Francolinus non est contentus falsè illudere, & adunco naso suspendere Tertullianos, Cyprianos, Carolos Borromæos, Patres omnes in univer-

ſum, cenſoriam quoque uſurpat virgulam ſæculi noſtri novus Ariſtarchus in ſanctiſſimum veteris Teſtamenti Prophetam Eliam, quòd ſibi plùs juſto videatur Rigoriſmum olere: & ne mihi fides hac in cauſa detrectetur, proferam teſtem locupletem, teſtem gravem, teſtem aureum, ipſum ipſum Francolinum benignitatis patronum acerrimum, Rigoriſtarum oſorem capitalem, Janſeniſtarum etiam umbratilium infenſiſſimum hoſtem. Audi, Lector, tantum virum, audi novum Clerici Romani pædagogum, audi çomem Eccleſiæ Magiſtrum, qui Auguſtinis, Ambroſiis, Hieronymis, cæteriſque Eccleſiæ Doctoribus eruditione inferior non eſt. Tomo ſecundo pag. 139. 140. hæc ſcribit pro ſua modeſtiâ & reverentiâ: *Hinc Eliam, unum ex omnibus antiquæ Legis Prophetis rigidum & inflexum, qui vindictam malorum à Deo flagitabat, ad benignitatem informare Deus voluit eo oſtento.....* & infrà, *nec hujuſmodi oſtentis*

Tom. II Pag. 139. 140.

ostentis satis edoctum, inclinatumque ad benigniora consilia, sustulit eum in cælum Deus, rediturum in terras, cum terras omnes occupare conabitur Antichristus, eaque scelera cum suis assectis patrabit, quæ Prophetas ultores deposcent, non deprecatores. Atram illam Rigorismi notam possem hîc facilè à sanctissimo Propheta depellere; si hoc agerem, injuriam afferrem non levem perillustri Carmelitarum Instituto. Se dicunt ipsi filios Eliæ, eum colunt tanquam parentem, ipsorum refert tantam propulsare calumniam, quam bono Patri irrogavit Francolinus: ipsorum interest sacræ Congregationi Indicis denuntiare Francolini opus diris devovendum, & tenebris addicendum perpetuis. Viderint ad quos spectat, ego satis munus implevi meum indicando insigne convicium novi in Israele Magistri, qui Eliam carpit tanquam hominem in Rigorismo obduratum, ab eo licet Deus iteratis signis ipsum revocare voluerit.

Non ludet veteres Christianos Francolinus? Sperari illud haud potest. Et sanè Tomo secundo pag. 147. Ecclesiæ priscæ Christianos lancinat. *Non enim* (inquit) *ea illius benignitatis ratio fuit, quòd minora tunc essent scelera vindicanda (id enim, si præsertim de secundo sæculo sermo sit, incertum est;) sed ea, quòd Sacerdotes ita fuerant à benignissimo ac Divino Magistro verbis & exemplis instituti.* Plaudite vobis hodierni præsentis Ecclesiæ Præsules, habetis greges sanctitate superiores priscis Christianis, quos passim Apostolici viri, & graves historici retroactæ antiquitatis sanctos appellare solent. Gratias agite immortales Francolino, qui eam præsentis Ecclesiæ laudem ac fœlicitatem primus invenit. Et vos, Musæ, Francolini tempora lauro cingite: plenâ manu date laudes Francolino temporum nostrorum fideles.

Tom. II Pag. 147.

Qui Patres, Eliam, Christianos priscos virgulâ suâ ferit censoriâ Francolinus, ignoscet antiquis Synodis

Pro-

Provincialibus ab Ecclesiâ receptis, in quibus Rigorismi species occurrit? non arbitror, non enim author est timidus in pungendis commentitiis Rigoristis, etiam præcellenti dignitate conspicuis. Nemo nescit in Historiâ Ecclesiasticâ tantillùm versatus Synodos Gangrensem, Ancyranam, Neocæsariensem, Laodicænam, Arelatensem, Eliberitanam, & alias complures, quæ tertio & quarto Ecclesiæ sæculo fuerunt habitæ, ad sanciendam fovendamque sanctissimam illorum temporum disciplinam Ecclesiasticam, erga lapsos in crimina canonica, quæ publicæ ac luctuosæ subjacebant pœnitentiæ: nemo inquam nescit Historiæ Ecclesiasticæ gnarus, ejusmodi Synodos ab Ecclesiâ Romanisque Pontificibus fuisse receptas & confirmatas, maximâque semper valuisse authoritate. Quid facit Francolinus, cui illorum Canones Conciliorum, de solemni pœnitentia, non arrident, quia illi videntur intolerandum sapere Rigorismum? Clanculùm

ac

ac subdolè eorum, quantùm potest, authoritatem extenuat; ob idque notat, in Generalibus Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis Conciliis occurrere nihil, quod redoleat ejusmodi Rigorismum, quo laborant veteres illæ Synodi Provinciales. Si mihi haud credit Lector, quæso credat
Tom. II Pag. 357. Francolino testi gravissimo. Is Tomo secundo pag. 357. hæc scribit: *Ne extra materiam, quam præ manibus habemus, excurramus, cedo eorum canones pœnitentiales. Reperies satis multos conditos à Conciliis Particularibus, à Conciliis Generalibus conditos vix reperies &c.* Si liceret per otium, ac immensum conficere opus liberet, tot & tantis œcumenicarum Synodorum Canonibus, circa solemnem lapsorum in crimina canonica pœnitentiam, obruerem te, mi Francoline, ut velles nolles, apertæ veritati manus dares: sed id pensi genus doctis Europæ viris, qui tuam indubiè confutabunt lucubrationem, relinquo: ego viæ breviori insisto. Esto quod obtru-

obtrudis : quid tum? Si Ecclesia, si Sedes Apostolica veteres illas Provinciales Synodos, quibus de agitur, excepit reverenter, confirmavit luculenter, ut norunt omnes in Historiâ Ecclesiasticâ minimè peregrini, potest-ne aliqua intercedere pugna, hac in causâ, Synodos inter Generales ac Provinciales? Non loquuntur semper Concilia œcumenica de solemni lapsorum pœnitentiâ, vel quia aliis de causis fuerunt coacta, vel quia disciplina Ecclesiastica, circa publicam & luctuosam pœnitentiam, in Ecclesiis omnibus vigebat; vel tandem quia solemni pœnitentiæ imponendæ lapsis in crimina canonica, jam satis superque cautum erat per Synodos illas priscas Provinciales ab Ecclesiâ universa receptas, à sanctâ Sede Apostolicâ confirmatas. Quid ad hæc Francoline? taces, causâ cecidisti; fatere te victum, revoca tuam cantilenam, palinodiam cane, usurpa verbum sancti Hieronymi sub finem Dialogorum adversus Luciferianos:

 Vicimus

vicimus utrique, uterque noſtrum palmam refert, tu mei, ego erroris.

Putabis, Lector benevole, à Francolino traduci nunquam Romanos Pontifices? toto cœlo erras. Qui ſuopte ingenio maledicendi pruritum habet, nemini parcit, quando exiſtimat ſubtile convicium ſuæ cauſæ patrocinari. Exemplo ſit Francolinus, qui videtur ubique ſummis Pontificibus debitam deferre obſervantiam, & tamen non uno in loco ſui officii immemor eſt; adeò verum eſt quod canit Poeta, *naturam expellas furcâ, tamen uſque redibit.* Tomo ſecundo pag. 361. ſibimet objiciens Francolinus quædam Summorum Pontificum reſponſa, à Doctiſſimo Morino Gallicanæ Congregationis Oratorii Presbytero allata in celebri Opere de Pœnitentiâ, quæ benignitati nimiæ quam tuetur, è diametro adverſantur, ſic reſpondet inverecundè: *Sed primò hujuſmodi reſponſa eorum Pontificum non ſunt, quos præ cæteris aut ex antiquitate, aut ex ſanctitate, aut ex*

Tom. II Pag. 361.

ex doctrinâ celebramus. O bellam & commodam responsionis formulam, quâ potest eludi authoritas omnis Summorum totius Ecclesiæ Antistitum! Dijudicent aulæ Pontificiæ Theologi devoti, num ea respondendi ratio præse ferat debitam Summis Pontificibus & Vicariis Christi in terris venerationem. Tenuitati certè ingenioli mei hæc responsio impudorata, & contumeliosa videtur sanctæ Sedi, quam Deus suo dignatur afflatu, sicubi res Ecclesiæ deposcunt.

Non subit mirandi locus, à Francolino deprimi Castoriensem Episcopum Joannem Neer-Cassel. Scilicet pius ille ac doctus Præsul duplex volumen omnigenæ eruditionis plenum de necessitate inchoati amoris Dei, ad obtinendam in Pœnitentiæ Sacramento justificationem, ausus est scribere; ac proindè atram Rigorismi notam effugere non valuit; subindeque Francolini indignationi subjaceat oportuit: nec Episcopalis dignitas illum *Tom.II Pag. 204.*

ſubtraxit cenſoriæ virgulæ novi in Iſraele Magiſtri, qui authoritate propriâ inſulâ ſe ſe inſigniens Doctorali, jus habet proindè ſuffragium ferendi cenſorium, quo jure quâque injuriâ, de ſanctis Patribus, de Conciliis Provincialibus receptis, de Elia, de veteribus Chriſtianis, de Vicariis Chriſti, de Epiſcopis, de Theologis notæ non infimæ, de toto Chriſtiano Orbe. Sed pluſquam ſatis hoc de argumento. Excutiamus paucis inſignem Francolini profectum in criticâ diſciplinâ, quæ tota quanta eſt occupatur in ſecernendis Sanctorum Patrum & Authorum Eccleſiaſticorum monumentis certis, germanis, incorruptis, ab dubiis, ſuppoſititiis, interpolatis.

OBSERVATIO IV.

Francolinus in criticâ disciplinâ rudis & peregrinus.

GRatulor tibi, Francoline mi; quòd disciplina critica tibi sapiat, quòd Bellarminum tuum de Scriptoribus Ecclesiasticis legeris, ac Lectorem ad eum remittas Tomo secundo pag. 115. Obtinebis in posterum non infimam sedem inter præclara Italiæ ingenia, quibus arridet politior litteratuta, critica disciplina, totius antiquitatis sacræ & prophanæ cognitio. Quàm egregia nobis tuæ hujus eruditionis specimina præbes!

Tomo primo pag. 17. canonem 51. Apostolorum laudas, qui benignitati tuæ suffragatur: illum ipsum canonem Tomo primo pag. 68. tacitè innuis. Putasne, amabo, hos Canones 85. qui Apostolorum nomine circunferuntur, esse germanos Aposto- *Tom. I. Pag. 17*

lorum fœtus, magni esse in Ecclesiâ Romanâ ponderis? Si utrumque tenes, à vero, mi Francoline, aberras. Pernegabis te in erroris luto hac de re versari. Id ego paucis demonstro. Primò, quia nemo Patrum quatuor priorum sæculorum hosce canones laudavit. Secundô, quia Gelasius hujus nominis Primus, in Synodo Romanâ anno 494. habitâ, disertè ait, *liber Canonum Apostolorum apocryphus.* Tertiò, quia sanctus Isidorus Hispalensis, qui septimo ineunte sæculo floruit, hæc scribit verba, à Gratiano in decretum relata distinct. 16. cap. 1. & in veteribus omnibus libris Conciliorum Hispaniæ inventa, teste Antonio Augustino Tarraconensi Episcopo libro primo de emendatione Gratiani dialogo sexto: *Canones qui dicuntur Apostolorum: Sed quia eosdem nec Sedes Apostolica recepit, nec Sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur; quamvis in eis utilia*

lia inveniantur; tamen ab authoritate canonicâ, atque Apostolicâ constat esse remota, atque inter apocrypha deputata. Quartò, quia uno eruditorum consensu, qui ætate nostrâ de criticâ scripserunt, exploduntur; & inter fœtus spurios, nulliusque in Ecclesiâ authoritatis referuntur. Mitto cætera momenta quæ offendes collecta in libro cui titulus, *Turrianus vapulans.*

Tomo primo pag. 177. sancti Clementis hujus nominis primi Romani Pontificis Constitutiones Apostolicas non respuis. Illud tamen opus suppositum esse Apostolis & Clementi Romano evincunt Critici. Primò, quia libro 6. cap. 25. docetur, hæreticos esse illos qui suspicantur Jesum esse Deum super omnia. Lib. 6. cap. 15. Baptisma ab hæreticis collatum iterari jubetur. Lib. 8. cap. 32. Sabbatum eâdem solemnitate quâ diem Dominicam celebrari contendit parens illarum quisquiliarum. Libro 8. cap. 37. Pater vocatur Dominus Spiritus

Tom. 1. Pag. 177.

ritus sancti. Vide tu, Francoline mi, si sententiæ illæ bonæ Theologiæ congruant. Secundò, quia illæ Constitutiones dies Apostolis sacros decernunt lib. 8. cap. 31. Tertiò, quia nec Eusebius, nec Hieronymus, qui ex professo Clementis Romani opera referunt, illas ponunt Constitutiones inter genuina Clementis opera. Quartò, demùm quia Ecclesia Latina eas ne pili quidem duxit unquam. Sileo alia momenta critica, nec enim vacat multùm excurrere.

Tom. I. Pag. 49 Tomo primo pag. 49. laudas, Francoline mi, Cyprianum in Sermone de cœnâ Domini, ut probes Eucharistiæ Sacramento extingui peccatum. Non probè legisti Bellarminum tuum de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui te ab errore crasso revocasset. Purpuratus ille vir, sancti Cypriani opera expendens ita censet de Sermone in cœnâ Domini: *Liber* (inquit) *de cœnæ dispositione non solùm Cypriani non est, verùm neque alicujus docti hominis est. Fortaße auctor ejus Cyprianus*

prianus dicebatur , sed longè diversus ab illo de quo nunc agimus : nam neque verba , neque sententias habet homine docto dignas , sed ineptas & ridiculas narrationes & fabellas. Et has tu ut oracula venereris.

Tomo primo pag. 216. Canones pœnitentiales utriusque Gregorii , Thaumaturgi & Nysseni , Basiliique vocas in dubium , Francoline mi : *An ipsorum sint saltem omnes* , (inquis) *non est satis certum. Utque aliquid dicam de Basilianis , qui celeberrimi habentur , plura sunt quæ difficultatem ingerunt &c.* Id facis , quia nimiæ , quam propugnas, benignitati erga lapsos, haud satis indulgent sanctissimi illi Orientis Episcopi. Omnes tamen qui eruditorum censentur nomine, & criticam disciplinam callent, utriusque Gregorii Thaumaturgi & Nysseni , Basiliique canonicas Epistolas admittunt, laudant, neque vel minimo circa ipsas vexantur scrupulo. Viris doctis , pace tuâ dixerim , major fides adhibenda , quàm tibi , qui *Tom. I. Pag. 216.*

qui criticam videris mihi extremis tantùm labris degustasse. Audi, si placet, Petrum Annatum Congregationis Doctrinæ Christianæ Præpositum Generalem, in Methodico ad Theologiam positivam Apparatu scribentem de sancto Gregorio Thaumaturgo pag. 277. editionis Venetæ: *Insignis denique Epistola Canonica, quam Balsamon Antiochenus Patriarcha Commentario illustravit eximio, quam Trullana Synodus Canone tertio observari mandat, & quam scripserat Sanctus Gregorius noster, à quodam suorum Coepiscoporum consultus, de peccatis eorum qui in barbarorum incursione idolothyta comederant, aliaque varia crimina eorum occasione patrarant, pro quibus singulis hac in epistolâ suam undecim Canonibus explicat mentem, & congruam decernit pœnitentiam.* Hactenùs Annatus.

Tom. I. Pag. 217. Tomo primo pag. 217. Trullanæ Synodi canonem 87. in medium adducit Francolinus, quò Basilianum Canonem falsi revincat: Trullanam

Synodum

Synodum laudat ſub nomine Concilii Conſtantinopolitani; quod magnæ in Eccleſia authoritatis eſſe arbitratur. Graviter hallucinatur. Id ut pateat, rem ab ovo paucis ducam. Nullos Canones edidit ſexta Synodus; ſed poſtquam abſoluta eſſet, omnes Epiſcopi Orientis convenerunt Conſtantinopolim Synodum celebraturi, veluti ad ſupplementum quintæ & ſextæ Synodi, in quibus nihil de diſciplina & morum reformatione ſancitum fuerat, ut notat Balſamon in Nomocanonem Photii; unde vocata eſt Quini-ſexta: quia autem celebrata fuit in Trullo magni Palatii, id eſt ſub capulâ Palatii Imperatoris, vocata eſt Trullana. Edidit duos ſupra centum Canones, quibus multa adverſus Romanæ Eccleſiæ mores & derivatam ab ipſis Apoſtolis diſciplinam conſtituta ſunt: ſanctiſſimam cœlibatus Eccleſiaſtici legem convellere moliti ſunt Canone 13. jejunium Sabbathi in Eccleſiâ Romanâ celeberrimum damnarunt Canone 35.

ne 35. abſtinentiam à ſuffocatis ſanxerunt Canone 67. Quapropter illos Canones improbavit Sedes Apoſtolica, ipſiſque ſubſcribere renuit Sergius Pontifex Maximus, urgente licet Juſtiniano Juniore Imperatore. Id conſtat ex Anaſtaſio Bibliothecario in libro de vitis Romanorum Pontificum in Sergio, & in Præfatione ſeptimæ Synodi ad Joannem octavum, & ex venerabili Beda libro de ſex ætatibus in Juſtiniano minore, ubi & hanc Synodum vocat erraticam. Si itaque adagii triti non immemor fuiſſet Francolinus, ne ſutor ultra crepidam, nunquam tentaſſet criticum agere, contentus Theologico ſtudio navare operam, in quo etiam non ſemel peccat, ut infra commonſtrabitur.

Tom. II Pag. 84 Tomo ſecundo pag. 84. Francolinus, in ſuæ benignæ nimis patrocinium ſententiæ circa lapſos, profert Humberti quinti Fratrum Prædicatorum Generalis Magiſtri Regulas; ſeu Inſtructiones, quibus Dominicani

cani regerentur, ad obeunda, ut par est, sua munia. Easdem nobis ollas ostentat in Tractatu nuper excuso de dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficienti: nihil enim tam cordi habet, quàm ut Prædicatorum Ordinis viros in laxitatis patrocinium advocet. At contra mordicùs ego contendo, Institutiones illas falsò Humberti Prædicatorum Præpositi Generalis nomen præferre: idque momentis adeo invictis ac per se obviis evinco, ut planè mirari subeat, ea in viri non omninò cœcutientis oculos non incurrisse.

Repugnat in primis ratio temporum. Humbertus quippè Valentiæ ad Rhodanum pridiè nonas Junii anno 1277. diem obiit, ut legimus in actis Capituli Generalis, Mediolani altero anno celebrati. At Institutionum istarum quisquis est author, Doctoribus Angelico ac Seraphico *Sancti* titulum defert, cap. 2. *de Officio Prioris Provincialis*, & cap. 5. *de Magistro Novitiorum*, quo ille,

anno

anno duntaxat 1323. à Joanne Vigesimosecundo, iste anno 1482. à Sixto Quarto donatus est. Quid quod capite 5. proximè notato, *Fratris Ludovici Granatensis* mentionem ingerit, quem vertente sæculo decimosexto floruisse notum est? Quid etiam quod *Summas Casuum Conscientiæ* consulendas identidem monet; maximè verò cap. 13. *de officio Librarii*, & cap. 45. *de officio Confessoris*: cùm tamen hujus argumenti ac tituli scriptiones sequenti duntaxàt ætate prodierint, vixque Humberti tempore unius Divi Raymundi summa circunferretur?

Repugnat perindè conditio Scriptoris, quem Prædicatorum Ordinis Instituta ignorasse necesse est; quod certè de Humberto ejusdem supremo Moderatore nemo credat. Sic cap. 10. *de officio Sacristæ*, ad ipsum pertinere dicit Institutionum istarum consarcinator, *ut sollicitet Priorem, & Fratres de bonis campanis habendis, & moderatæ magnitudinis*: cum contrà

trà ex primo Ordinis instituto, Humberti ætate religiosiùs observato sancitum esset, ut non haberent *nisi unam campanam ad omnes horas*: uti videre est in Constitutionibus cap. 1. *de officio Eccles.* dist. 1. Sic cap. 4. *de officio Supprioris*, primum illi à Priore locum assignat, repugnantibus scilicet Ordinis constitutionibus dist. 2. cap. 8. ubi sic legimus: *Magistris in Sacrâ Theologiâ immediate post Priorem, in cujus Conventu fuerint, locum damus.* Sic cap. 3. *de officio Prioris Conventualis*, facultatem Prioribus Provincialibus facit, religiosos immorigeros expellendi ab Ordine: quæ tamen uni Præposito Generali, aut certè Comitiis Generalibus ac Provincialibus datur, in Constitutionibus dist. 1. cap. 19. Sic cap. 5. *de officio Magistri Novitiorum* invenibus Clericis ad sacram communionem accedentibus, Calicis usum ordinariè ac de more concessum innuit: *Consumptâ Hostiâ*, inquit, *ad Calicem cum reverentiâ accedant.* Quæ res Eccle-

Ecclesiasticæ sæculi 13. disciplinæ repugnat, nec unquam ex privilegio Prædicatorum Ordini concessa legitur.

Repugnat non absimiliter stylus, ab eo longè diversus, quem in cæteris indubitatis Humberti Opusculis experimur. Etsi enim non omninò purè & emendatè scriberet, haud ità tamen barbarè & inquinatè, ut istarum Institutionum consarcinator, apud quem frequentiùs occurrunt *garziones* pro famuli, *scopare* pro mundare, *grossum* pro crassum, *sotulares* pro calcei, *potionari* pro mederi, *curialitas & curialitèr* pro urbanitas & urbanè, *augmentare* pro augere, *salsæ* pro condimenta, *dispensa* pro cella vinaria, *cultivare* prò colere, *brodium* pro jusculum, *cappellum* pro pileus, *cati* pro feles, *bladum* pro frumentum, *appodiare* pro fulcire, *pretiositas* pro pretium; & alia id genus longè multa.

Accedit virorum criticæ scientiæ peritorum acre judicium, qui in accuratâ

curatâ librorum Humberti recensione, Institutiones censoriâ virgulâ notant; ac inter spurios fœtus amandant.

Quàm procul à Francolini laxitatibus abierit Humbertus ille, Prædicatorum Ordinis Præpositus Generalis, ex ejusdem indubitatis Opusculis certò liquet. Peccata gravia non levi pœnitentiâ castiganda esse docet, Tractatu 2. de modo promptè cudendi sermones ad omne genus negotiorum, qui extat Tomo 25. Editionis Lugdunensis Bibliothecæ sanctorum Patrum cap. 46. pag. 536. *Quædam sunt manifesta peccata* (inquit) *juxta illud* 1. *ad Timoth.* 5. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt; & ipsa sunt pessima*: *Nahum* 3. *in fine; non est obscura, id est, latens contritio tua; pessima est plaga tua, scilicet quia non latet. Contra verò hujusmodi peccati remedium est pœnitentia manifesta, sive solemnis interdùm secundùm majoritatem quorundam delictorum, sive aliter publica solùm, non solemnis; Rom.* 6. *Sicut exhibuistis*

membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, scilicet manifestè, ità scilicet manifestè exhibete nunc membra vestra servire justitiæ & pœnitentiæ in sanctificationem. Item notandum quod hujusmodi manifesta pœnitentia de peccatis manifestis valet ad tria &c. Idem in speculo Religiosorum lib. 4. cap. 24. quod extat Tomo 25. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis pag. 706. hæc scribit à nimia benignitate longè abhorrentia: *Attendendus est* (inquit) *status personarum quæ corriguntur; quia non sanat oculum, quod sanat calcaneum. Cum veterano parciùs agendum est, ut ait Seneca.* 1. *ad Timoth. 5. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem. Qui non possunt benignitate corrigi, terrore sunt corripiendi. Augustinus, quidam dixit, pudore & liberalitate liberos retinere, satius esse credo amore quàm metu: & subdit Augustinus: hoc verum est, sed sicut meliores sunt quos dirigit amor, ità plures sunt quos timor corrigit.* *Isido-*

Ad Bonifaciũ Epis.25 paulò à principio.

Epis.50 *circa mediũ.*

Isidorus : Qui blando verbo castigatur & non corripitur , acriùs necessarium est ut arguatur ; cum dolore enim abscindenda sunt , quæ leniter sanari non possunt. In expositione verò regulæ sancti Augustini Humbertus plura in medium profert , quibus manifestò liquet , quantùm à nimia benignitate fuerit alienus.

Ex dictis consequens est , lapidem verberasse Francolinum scribentem quinque pagellas , in quibus rethorico modo urget ejusmodi Instructiones in favorem nimiæ erga lapsos benignitatis , quasi essent luculenta totius retrò antiquitatis monumenta , quorum authoritate opprimeretur quisquis reclamaret. Sciat Francolinus nihil admittere nos velle hoc pythagoræorum principio , *ipse dixit* : probationes desideramus , verba ratione ac sensu vacua parùm curamus.

Francolinus Tomo secundo paginâ 337. Dominicanam Familiam , imprimis Vincentium Bandellum de Castro novo , trigesimumsextum Or- *Tom. II Pag. 337.*

dinis Prædicatorii Magiſtrum Generalem extollit. Primùm obſtupui; deinceps non ſubiit locus admirationis, & dixi illud poetæ, *timeo Danaos & dona ferentes;* nec me fefellit eventus; animadverti enim effuſam illam commendationem eò collimare, ut in ſuæ gratiam ſententiæ plus juſtò benignæ proferret verba Bandelli, quæ in prologo Conſtitutionum Ordinis Fratrum Prædicatorum leguntur: ſunt autem iſta: *Declaramus quod tria præcipuè ſunt, quæ ſalutem impediunt animarum, licet non ſint contra ordinem.* Et recitatis duobus prioribus, *quæ ſunt quæſtus immoderatus, & officia odioſa,* ſubdit: *tertium eſt nimia auſteritas in conſiliis & opinionibus:* & rationem affert, *terrentur enim homines ex hoc, in tantùm ut ſalutem propriam negligant. Quapropter relaxanda eſt quantùm fieri poteſt rigiditas & auſteritas in conſiliis, & benignè tractandi ſunt homines.* His verbis laudatis ſibi canit Francolinus, exultat, ovat, triumphat,

& quasi de adversariis actum esset suis, mirâ perfunditur lætitiâ. Crudum laterem lavas, Francoline mi, cum adniteris probare Dominicanos favere nimiæ erga lapsos benignitati. Audi quæ habentur in explicatione prologi Constitutionum Fratrum Ordinis Prædicatorum, Editionis Romanæ anno 1690. littera S. pag. 18. *Licebit tamen Superioribus determinare pœninentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab illis cohibere possint. Et ità mandat servari ab omnibus, non obstantibus &c.* Audi Gonetum in Manuali Thomistarum Tractatu tertio de actibus humanis cap. 16. numer. 36. Editionis Lugdunensis in folio pag. 67. vitreum tuum argumentum dissolventem: *Similiter* (inquit) *cum dicitur in nostris Constitutionibus relaxandam esse rigiditatem & austeritatem in consiliis (quantùm fieri potest) ac homines benignè tractandos esse, hoc intelligi debet, quantùm fieri potest, juxta leges*

prudentiæ, quæ est regula actuum humanorum: leges autem prudentiæ (ut suprà ostensum est) prohibent eligere opiniones laxiores & benigniores, minùs probabiles, in concursu probabiliorum, quæ stant pro præcepto. Adde quod, opinio benigna apud juris peritos, non dicitur ea quæ favet libertati, sed quæ favet testamento, matrimonio, religioni, aut Sacramento, ut exponit Sylvester; vel ut alii interpretantur, quæ favet egenis, orphanis, viduis, & peregrinis. Extrema duo sunt, Francoline mi, laxitas & Rigorismus: utrumque execrantur Thomistæ: nec enim eos latet quod perbellè ait sanctus Bonaventura in compendio Theologicæ veritatis num. 52. *Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta: nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem; item prima sæpe dicit malum bonum; secunda è contra bonum malum; item prima sæpe salvat damnandum, secunda è contra damnat salvandum.* Fatentur Thomistæ

mistæ omnes sententias nimis austeras esse repudiandas in rebus moralibus: non sunt autem dicendæ opiniones rigidiores, quæ probabiles magis sunt, legique Divinæ patrocinantur. Non alium habent Dominicani Magistrum in moralibus rebus, quàm Doctorem Angelicum, cujus à sententiis utpote probabilioribus, divinæque legi magis consentaneis ne latum quidem unguem discedere illis semper religio fuit: jurant, ut norunt omnes, in verba Magistri, ac tenentur illi semper assentiri. Audi Francoline, quæ habentur distinct. 2. Constitutionum Familiæ Dominicanæ de studentibus cap. 14. littera C. *Insuper prohibemus fratres omnes recitare aut confirmare singularem aliquam opinionem oppositam communi Doctorum sententiæ, in his quæ ad fidem aut mores pertinere noscuntur, nisi reprobando ac statim objectionibus respondendo: qui autem in hoc deliquerint, à Priore provinciali, vel ab ejus Vicario in pœnam studio atque officio*

lectoratus priventur, sicut fuit ordinatum apud Cæsaraugustam 1309. ordinatione secundâ, & Metis 1313. ordinatione octavâ, & apud Cisteriacum 1329. Præterea districtè injungimus lectoribus omnibus & sublectoribus, ut præstantissimam nostri Angelici Doctoris sancti Thomæ Doctrinam semper legant, discant, & doceant, & juxta eam omnia quæsita & disputata determinent & definiant &c. Hanc si tu & Socii Angelicam doctrinam amplexati essetis moralibus in rebus, utì Constitutionibus vestris tenemini, non tot & tantas Orbis Christianus expertus esset laxitates. Quod si erubescere nolunt, aut nesciunt benignitatis nimiæ defensores, tu (Lector Christiane) rubore suffundere; tu dolore tabesce ob sæculi miseri hujus dedecus sempiternum; & dum vides hac nimiæ benignitatis arte omnia jura corrumpi, antiqua floccifieri, nova calcari, judicia perverti, hæreticis de Ecclesiâ Catholicâ obloquendi ansam præberi, indolens

indolens cohorresce. *Quì enim* (ut inquit sanctus Augustinus Epist. 137.) *ista non dolent, non est in eis charitas Christi; qui autem etiam de talibus gaudent, abundat in eis malignitas Diaboli.* Aliò me vocant errores, quos in lectitato Francolini opere deprehendi, illos tribus verbis exhibebo, de illis dijudicent æquissimi & religiosissimi Romæ censores.

OBSERVATIO V.

Francolini errores varii circa mores notantur.

FRancolinus Tomo primo disputatione 5. à pag. 3. usque ad paginam 134. id sibi probandum assumit, peccatoribus in eadem peccata lethalia sæpè labentibus, & longo peccandi mortaliter habitu affectis suâ sponte ad confessionem accedentibus, ore profitentibus se vero tangi dolore, ac propositum habere non pec-

Vide Tom. I. Pag. 293. sub fin. Et Tom. II Pag. 269.

peccandi in posterum, confessarium debere credere, illosque statim Sacramentalis absolutionis beneficio donare; imò affert & probat pag. 124. loco superiùs allegato verba Leandri à Murcia in disquisitionum libro secundo disputatione 1. resolutione 14. num. 3. pag. 158. scribentis: *Experientia docet quod differre absolutionem, non est remedium, sed potiùs medium, quo in desperationem ruant, vel quo odiosa reddatur eis Confessio. Hanc experientiam quam ego habeo, multi graves viri, qui Confessionibus audiendis frequenter vacant, similiter habuiße retulerunt.* Hanc sententiam falsi & erroris convincunt, eamque inducere in Ecclesia laxitatem morum horrendam demonstrant pii omnes ac docti homines, qui hoc de argumento disseruerunt. Præ cæteris consuli possunt Natalis Alexander Tomo primo Theologiæ suæ dogmaticæ & moralis tractatu de pœnitentia, Gaspar Juenin in Commentario historico & dogmatico de Sacramentis

tis tractatu de pœnitentia, Vincentius Contensonus Tomo nono Theologiæ suæ mentis & cordis tractatu de pœnitentia, dissertatione unicâ, capite secundo, speculatione tertiâ, ubi hanc materiam eruditissimè, & ad miraculum perscrutatur, & à futilibus mollium Casuistarum secùs opinantium objectionibus vindicat. Actum agerem, si argumentum istud, quod sexcenti ætatis nostræ graves Theologi traditionis sacræ pondere, atque rationum Theologicarum nervis achilleis munierunt, firmarunt, roborarunt, vellem rursùs agitare; aut enim eadem dicerem ex superfluo, aut si nova voluerim dicere, à clarissimis ingeniis occupata sunt meliora.

Hìc quatuor tantùm proferam loca, quibus recentium illorum in Ecclesia Magistrorum os claudatur. Primum mutuor ex sancto Augustino serm. 40. Editionis novæ Monachorum Benedictinorum Congregationis Gallicanæ sancti Mauri. *Ecce dat tibi*

tibi securitatem procurator : quid tibi prodest, si pater familias non acceptet? ...... Domini securitas valet, etiamsi nolim; mea verò nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intentè & diligenter audiamus, & promissa fideliter expectemus. Alterum peto ex Clero Romano Epistolâ 31. ad sanctum Cyprianum, eos Presbyteros objurgante, qui falsâ benignitatis specie magnis peccatoribus facilè reconciliationem impertiebant. *Ubi enim* (inquit) *indulgentiæ poterit medicina proficere, si etiam ipse medicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis? si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? hoc non est curare, sed si verum dicere volumus, occidere.* Itaque priùs expurgare vetus fermentum repetitæ ac inveteratæ malitiæ peccatores debent, quàm ut beneficio absolutionis fiat nova consperfio; vulnerumque curationem supra id quod vulgò

vulgò exiſtimatur operoſam, à Deo lacrymis & laborioſâ exercitatione priùs impetrare, quàm à Sacerdotibus reconcilientur. *Multùm illis proficiet* (inquit idem Clerus Romanus Apoſtolico primæ Sedis ſpiritu pleniſſimus) *modeſta petitio, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa* (id eſt expectans abſolutionis dilationem pœnitentiæ laboribus interim incumbens:) *mittant legatos pro ſuis doloribus lacrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis, & pudorem &c.* Tace igitur, Francoline mi, Clericum Romanum deſine informare, contra Cleri Romani documenta. Tertium locum ſumo ex ſancto Ambroſio ſermone octavo in Pſalmum 118. *Facilitas veniæ* (inquit) *incentivum tribuit delinquendi: hoc ideò dictum eſt, ut ſciamus ſecundùm verbum Dei, ſecundùm rationem diſpenſandam eſſe miſericordiam debitoribus &c.* Unde experientia perſpectum,

tum exploratumque est, innumeros absolutionum facilitate & prodigalitate ad prolapsionis contagium provocari: plures quos absolutionis habendæ confidentia in peccati cœno fixos detinuerat, hac unâ cunctationis & dilatæ absolutionis medicinâ fuisse sanatos; qui licet initio odiosam sibi procrastinationem illam, & diuturnæ pœnitentiæ molestias, quibus absolutionis beneficium illis redimendum esset, ægrè ferrent, videntes tamen se hoc uno remedio convaluisse, & medicinam amant, & medico gratias agunt immortales; non secus ac infirmi in Medicum potiones amaras, vel putridæ carnis sectiones imperantem indignantur, in cujus deinde oscula & amplexus, adeptâ sanitate, ruunt. Quartum depromo testimonium ex sancto Gregorio Magno dicente in Pastorali prima parte cap. 9. *Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat.* Adeoque homini peccati affectum se deposuisse exis-

existimanti atque dicenti non semper credendum.

Objicit Francolinus : homines etiam scelestissimi possunt momento temporis ab improbitate ad pietatem traduci, ut constat exemplis sancti Latronis & Paralytici Evangelici : qua de re consulatur sanctus Bernardus Epistolâ 8. Possunt itaque peccatores sponte suâ ad pœnitentiæ tribunal accedentes, ore testantes dolorem de peccatis admissis, & propositum non peccandi in posterum, statim beneficio donari Sacramentalis absolutionis : quos enim Deus solvit, ligare non debet Sacerdos, qui minister Dei est. Respondeo : Victricis gratiæ, quæ tempore non eget, omnipotentiâ homines sceleratos interdùm momento temporis ab impietate ad pietatem traduci fateor, sed illa exempla rara sunt, insolita, & ut loquitur sanctus Bernardus antea laudatus, *non tàm exempla, quàm miracula*, mutationes dexteræ excelsi, quæ tametsi in diebus his malis abbre-

abbreviata non ſit, atque vim ſuam his prodigiis nonnunquam nobis commendet, maximè in Sacramentis ſanctè ſuſceptis & adminiſtratis; attamen ſecundùm communem curſum ita cœleſtem converſionis novi hominis diem pedetentim adducit, ut quaſi crepuſculum præmittere ſoleat rore lacrymarum madidum, ac paulatim effulgens quibuſdam operibus lucis, faſtidio anteactæ vitæ, deſiderio melioris, gemitibus, ſuſpiriis, & ſeriâ ad promerendam reconciliationis gratiam cordis præparatione. Falleris, itaque Francoline mi, ſi credis verba prolata continuò animi metamorphoſim ſequi, eodemque momento vincula peccatorum frequentatis actibus obfirmata diſrumpi, cor lapideum in carneum commutari, obtinerique converſionem, quæ nonniſi petendo, quærendo, pulſando impetratur, ut ait Sanctus Auguſtinus Epiſt. 144. & libr. 12. confeſſionum cap. 1.

Francolinus Tomo primo pag. 160.

de

de Suaresio hæc verba scribit : *Docet enim disputatione 38. sect. 3. num. 2. cum sancto Thoma, posse Confessarium imponere totam, vel saltem partem pœnitentiæ per modum consilii, vel conditionatè, hoc modo; si id feceris, sit loco pœnitentiæ Sacramentalis.* Tom. 1 Pag. 160. Suarem nullo in loco impugnat Francolinus; imò Tomo primo pag. 156. sub finem inter *prima cœli Ecclesiastici luminaria* illum percenset : & Tomo secundo pag. 253. & sequentibus, Suarem tanquam virum sanctum, divinis exornatum extasibus, & cœlesti præditum doctrinâ adeò celebrat, ut non semel obstupuerim, quod Societas opibus & auctoritate affluens apud Principes, tentarit nunquam à sancta Sede impetrare Suaresii apotheosim : approbat igitur Francolinus doctrinam, quam ex Suaresio profert. Ego autem mordicùs contendo, illam, qua de agitur, doctrinam sapere manifestum errorem, atque adversari perpetuæ totius Ecclesiæ consuetudini. Quod dico, id paucis

G probò,

abbreviata non ſit, atque vim ſuam his prodigiis nonnunquam nobis commendet, maximè in Sacramentis ſanctè ſuſceptis & adminiſtratis; attamen ſecundùm communem curſum ita cœleſtem converſionis novi hominis diem pedetentim adducit, ut quaſi crepuſculum præmittere ſoleat rore lacrymarum madidum, ac paulatim effulgens quibuſdam operibus lucis, faſtidio anteactæ vitæ, deſiderio melioris, gemitibus, ſuſpiriis, & ſeriâ ad promerendam reconciliationis gratiam cordis præparatione. Falleris, itaque Francoline mi, ſi credis verba prolata continuò animi metamorphoſim ſequi, eodemque momento vincula peccatorum frequentatis actibus obfirmata diſrumpi, cor lapideum in carneum commutari, obtinerique converſionem, quæ nonniſi petendo, quærendo, pulſando impetratur, ut ait Sanctus Auguſtinus Epiſt. 144. & libr. 12. confeſſionum cap. 1.

Francolinus Tomo primo pag. 160. de

de Suaresio hæc verba ſcribit : *Docet enim diſputatione 38. ſect. 3. num. 2. cum ſancto Thoma, poſſe Confeſſarium imponere totam, vel ſaltem partem pœnitentiæ per modum conſilii, vel conditionatè, hoc modo; ſi id feceris, ſit loco pœnitentiæ Sacramentalis.* Tom. i Pag. 160. Suarem nullo in loco impugnat Francolinus; imò Tomo primo pag. 156. ſub finem inter *prima cœli Eccleſiaſtici luminaria* illum percenſet : & Tomo ſecundo pag. 253. & ſequentibus, Suarem tanquam virum ſanctum, divinis exornatum extaſibus, & cœleſti præditum doctrinâ adeò celebrat, ut non ſemel obſtupuerim, quod Societas opibus & auctoritate affluens apud Principes, tentarit nunquam à ſancta Sede impetrare Suareſii apotheoſim : approbat igitur Francolinus doctrinam, quam ex Suareſio profert. Ego autem mordicùs contendo, illam, quâ de agitur, doctrinam ſapere manifeſtum errorem, atque adverſari perpetuæ totius Eccleſiæ conſuetudini. Quod dico, id paucis

probo, ne temeritatis notam incurram, damnans alios erroris. Primò, quod imponitur per modum consilii, tenetur nemo ex præcepto implere: ergo tùm pœnitens licitè poterit omittere pœnitentiam à Sacerdote impositam per modum consilii: ergo Sacerdos in causa est cur Sacramentum pœnitentiæ integritate careat; satisfactio quippe Sacramenti pœnitentiæ pars est integralis, nemine orthodoxo reclamante. Secundò, cum Sacerdos medicus animarum sit & judex, remedia pœnasque præscribere debet sub præcepto, quibus & vulnera pœnitentium curentur, & divinæ offensæ fiat satis. Tertiò, perpetua Ecclesiæ praxis fert, ut Sacerdos alliget pœnitentem ad certam pœnam subeundam; illam consuetudinem in dubium vocare manifesta est insania. Quartò, Suares & Francolinus sanctum Thomam dehonestant, cum scribunt docuisse, posse Confessarium totam vel saltem partem pœnitentiæ imponere

per

per modum consilii, vel conditionatè, hoc modo, si id feceris, sit loco pœnitentiæ Sacramentalis. Aliter sentit Doctor Angelicus in Supplemento quæst. 18. art. 3. in corpor. *Solvit à pœnâ quam dimittit* (vi clavium Sacerdos,) *sed ligat quantùm ad pœnam quæ remanet. Sed ad hanc ligare dupliciter dicitur: uno modo considerando ipsam quantitatem pœnæ in communi; & sic non ligat, nisi in quantùm non solvit, sed ligatum ostendit: alio modo considerando pœnam, hanc vel illam determinatè; & sic ligat ad pœnam imponendo eam.* Et ibidem ad primum: *illud residuum pœnæ ad quod obligat* (Sacerdos,) *est medicina purgans impuritatem.* Nec secum pugnat, aut Suaresio favet, cum ait Quodlibeto 3. quæst. 13. art. 1. in Corp. *Est ergo dicendum quod sicut potest Sacerdos injungere satisfactionem pœnitenti ex arbitrio alieno, ita & ex arbitrio ipsius pœnitentis, sicut si dicat, facias hoc si potes, &, si non potes, facias hoc:*

Vox enim, *facias*, imperantis est, non consulentis, ut nemo nescit latinè sciens. A laxitate abhorruit semper sanctus Thomas: unde lib. 4. Sentent. dist. 20. art. 3. quæstiun. 2. ad 2. scribit: *Pœnitens cui major condigno pœnitentia injuncta est, tenetur eam explere ex Sacerdotis injunctione, qui non solum debitum pœnæ considerat, sed peccato remedium adhibet.* Et ibidem ad 3. hæc habet verba notatu digna: *Sacerdos minorem condigno pœnitentiam injungens, non semper peccat; tùm quia non potest determinatè quantitatem pœnæ debitæ cognoscere, quamvis aliquid propriè, consideratis regulis Patrum, determinare possit; tùm quia quandoque etiam ex industria minorem pœnitentiam imponens, plùs prodest pœnitenti quàm noceat, qui fortè magnitudine pœnæ posset à pœnitentiâ peragendâ impediri propter debilitatem virtutis, adhuc in eo de novo recuperatæ: & ideò negligit minus damnum, ut majus evitet: & iterùm paulatim confortatus in eo divinus amor*

ad

ad plura pœnitentiæ opera peragenda ipſum incitabit propriâ ſponte, quàm Sacerdos eidem ſecundùm quantitatem peccatorum injungere potuiſſet. Miſeranda Scholæ Thomiſticæ conditio eſt in eo, quod molles Caſuiſtæ, quò ſuas laxas incautis Lectoribus opiniones ebibendas propinent, eas ſemper mutilis, truncatis, obtorto collo ſumptis ſancti Thomæ teſtimoniis obliniunt, muniunt, illuſtrant. O tempora! ô mores! Deum immortalem!

Francolinus Tomo primo pag. 230. hæc ſcribit: *Quod attinet ad alios Canones pœnitentiales, negandum ſimiliter eſſe videtur, omnes in univerſum receptos eſſe, tanquam leges & præcepta, quæ eas tàm longas, tàm plenas labore, & pudore pœnitentias omninò imponi mandarent, ſed potiùs tanquàm regulas quaſdam Inſtructioneſque, ex quibus Confeſſor cognoſceret majorem, aut minorem culparum gravitatem & meritum.* Hanc propoſitionem eſſe falſam, atque excogita- *Tom. I. Pag. 230.*

 tam,

tam, ut veteris disciplinæ severitas extenuetur, contendo, & probo argumento invicto. Si Canones pœnitentiales, quibus lapsi in crimina canonica plectebantur, non fuissent leges ac præcepta, quæ simplices Presbyteri sequi tenerentur, sed regulæ tantùm, quibus major aut minor criminum canonicorum gravitas, aut levitas deprehenderetur, penes simplices Sacerdotes fuisset facultas temperandi rigorem Canonum pœnitentialium: olim porrò nunquam fuit in manu simplicium Sacerdotum emollire aut moderari Canonum pœnitentialium rigorem, quibus Ecclesia in criminum canonicorum reos animadvertebat, sed id juris Canones pœnitentiales temperandi penes solos fuit Episcopos. Id constat primò ex sancto Cypriano Epist. 12. ubi disertè affirmat penes Episcopos fuisse judicare Martyrum supplicationes, ut agnitâ dispositione lapsorum pro quibus martyres supplicabant, aliquid de Ecclesiasticæ disciplinæ severitate

remitte-

remitteretur. *Audiant* (lapsi) *patienter Concilium nostrum, expectent regressionem nostram, ut cum apud vos per Dei misericordiam venerimus, convocati Coepiscopi plures, secundùm Domini disciplinam, & Confessorum præsentiam, beatorum Martyrum litteras & desideria examinare possimus.* Id constat secundò ex primo Concilio Nicæno Canone 2. *Cum pœnitentes cum omni timore, & lacrymis perseverantibus, & operibus bonis conversationem suam, non verbis solùm, sed opere & veritate demonstrant, licebit Episcopo humanius aliquid circa eos cogitare.* Id constat tertiò ex sancto Leone magno Pontifice Romano Epistolâ 79. cap. 6. ad Nicetam Episcopum: *Tempora pœnitudinis, habitâ moderatione, constituenda sunt tuo judicio, prout conversorum animos prospexeris esse devotos.* Id constat quartò ratione, quia Ecclesiasticæ politiæ nervus postulabat, ut penes simplices Sacerdotes non esset facultas temperandi rigorem Canonum, ne

ſenſim tolleretur è medio Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritas, nimiâ ſimplicium Sacerdotum indulgentiâ, erga reos criminum canonicorum.

Francolinus Tomo primo pag. 337. hæc ſcribit: *Latuit olim, diuque latuit ipſos Hebræos ſacræ paginæ cuſtodes doctoreſque Myſterium Trinitatis, quamvis in ipſis Scripturis contentum.* Hæc propoſitio generalibus terminis expreſſa omninò falſa eſt, atque contumelioſa ſanctis Patriarchis & Prophetis, aliiſque Doctoribus veteris Teſtamenti. Audi, Francoline mi, ſanctum Thomam Doctorem communem, Scholæ Angelum, Theologorum facilè Principem 2. 2. quæſt. 3. art. 8. in corpor. hæc ſcribentem: *Myſterium Incarnationis Chriſti explicitè credi non poteſt ſine fide Trinitatis: quia in Myſterio Incarnationis Chriſti hoc continetur, quòd Filius Dei carnem aſſumpſerit, quòd per gratiam Spiritus ſancti mundum renovaverit, & iterùm quod de Spiritu ſancto conceptus fuerit: & ideò eodem modo quo Myſterium In-*

Tom. I. Pag. 337.

Incarnationis Christi ante Christum fuit explicitè creditum à majoribus, implicitè autem & quasi obumbratè à minoribus, ita etiam & Mysterium Trinitatis. Angelico Præceptori succinunt eruditi omnes Theologi; unus contradicit Francolinus, cui essem author, ut bonas collocaret horas potiùs in Horatio aut Virgilio egregiis Scholiis illustrando, quàm in tractandis cœlestis Theologiæ mysteriis, in quibus non satis à teneris unguiculis est innutritus.

Tomo secundo à paginâ 58. ad paginam usque 62. Francolinus odiosam instituit comparationem, pacis Ecclesiasticæ perturbativam, Confessarios inter Regulares ac Sæculares promiscuè: illos in cœlo ponit, hos deprimit, traducit. Hæc agendi ratio non consulit Ecclesiasticæ pacis commodo, viros inter Regulares, atque Clericos Sæculares. Viderint religiosissimi & æquissimi Censores Romani, & ejusmodi rixarum inter ministros Altaris fomentum evellant. *Tom. II Pag. 58 & sequent.*

Ne

Ne autem Francolino imponere me aliquis putet, pauca ejus verba proferam. Loco mox citato pag. 56. ait: *Jam verò tecum mihi agenda res est, atque ostendendum, à Regularibus mendicantibus scitè sanctèque, & MELIUS QUAM AB ALIIS* Sacramentum *Pœnitentiæ administrari.* Pag. 61. num. 19. ait: *Vix unus semper fuit Regularis impostor pro mille non Regularibus Clericis, qui variis erroribus fideles à Catholicæ doctrinæ tramite abduxerunt.* Pag. 62. numer. 21. ait: *Cœlestis favor & auxilium, sine quo nihil feliciter, cum quo feliciter omnia eveniunt, Religiosis Confessariis magis adeße videtur, dum qui eorum utuntur in moribus magisterio, faciliùs & feliciùs in virtute proficiunt, inque ipsum enituntur apicem sanctitatis. Id autem ex eo facilè colligi potest, quod ferè omnes qui his postremis quinque sæculis, in Sanctorum album relati fuere, aut Religiosi mendicantes fuere, aut usi sunt Confeßariis Ordinum Mendicantium.*

Fran-

Francolinus Tomo ſecundo pag. 81. numer. 6. hæc ſcribit : *Olim Theologi, & quidem primæ notæ, ut Scotus diſtinct. 18. quæſt. 1. art. 1. . . . . docebant pœnitentem non teneri ad acceptandam pœnitentiam. Cajetanus Tomo 1. Opuſculorum tract. 6. quæſt. 2. ad 2. docuit, non ſolùm non teneri ad eam acceptandam, ſed nec teneri ad implendam, quamvis acceptet.* Non ſatis mihi eſt otii ut omnes Francolini citationes aut mutilas, aut truncatas, aut obtorto collo uſurpatas falſi evincam. Vindicent Scotum à calumniâ ipſi illatâ ejus diſcipuli : ego id unum aſsero, à Francolino indirectè peti Traditionis authoritatem. Enim verò ſi ſemel Calvinianis & Lutheranis damus, Theologos & Canoniſtas, & quidem primæ notæ aliquo ſæculo errare omnes, aut ferè omnes, ruat oportet venerandæ traditionis robur; illud quippe traditum eſt, (inquit perbellè Vincentius Lirinenſis in aureo ſuo commonitorio adversùs profanas vocum novitates) *quod*

Tom. II Pag. 81

quod semper, quod ubique, quod ab omnibus custoditum est. Esse porrò gravem errorem, docere pœnitentes non teneri ad acceptandam pœnitentiam (ubi clavem non errasse apertè constiterit,) negabit nemo sanæ mentis Theologus. Errorem illum possem lato refellere calamo, & quidem haud ægrè: sufficiat impræsentiarum famosus ille 21. Canon Concilii quarti Lateranensis sub Innocentio Tertio celebrati, qui incipit, *Omnis utriusque sexus*, quo præcipitur ut pœnitens injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere. Sancti Patres Cyprianus, Ambrosius, Pacianus, Leo magnus nefas putabant, ad communionem insignes pœnitentes admittere, non expletis, ut par erat, pœnitentiæ laboribus. Quid cum iis egissent, qui impositam sibi satisfactionem legitimam repudiassent?

Tom. II Pag. 166. Francolinus Tomo secundo paginâ 165. contendit peccatores in gravia scelera prolapsos haud peccare, si Con-

Confeſſionem differant ad longum tempus. Hæc ſententia videtur laxa: primò, quia graviores Theologi ſecùs opinantur. *De his itaque generaliter aſserere, quod poſſunt uſque ad Paſcha differre, videtur periculoſum*, ait Sanctus Bonaventura in 4. Sent. diſt. 17. quæſt. 2. puncto 2. *Non videtur verè contritus, qui tàm longo tempore vulnus peccati portat occultum*, inquit ſanctus Thomas in 4. Sentent. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſtiun. 4. Alios permultos magni nominis Theologos hac de re nobiſcum ſentientes libens mitto, ne ſim immenſus. Secundò, quia lex naturalis docet, reconciliationem cum eo quem peccato læſimus, diu non eſſe differendam: porrò peccatoris cum Deo reconciliatio fit vi clavium: ergo &c. Tertiò, quia qui Sacramentalem Confeſſionem in longum tempus protrahit, morali ſalutis periculo ſeſe exponit; proindeque peccat. Sunt & aliæ rationes quas docti, piique rerum moralium tractatores proferunt,

ſed

ſed non vacat in his afferendis diutiùs immorari.

Tom. II Pag. 192. Francolinus Tomo ſecundo paginâ 192. ſcandalum quod in ſalutis diſcrimen pertrahit certò adoleſcentem, haud eſſe fugiendum, morali quâ par eſt diligentiâ, docet. Judicent æqui Cenſores, an hæc doctrina ſit ferenda in Eccleſia, quæ firmamentum, & columna eſt veritatis.

Tom. II Pag. 272. Item Tomo ſecundo pag. 272. illam Suareſii propoſitionem de pœnitentia diſput. 32. ſect. 2. num. 2. tuetur & probat Francolinus: *Non oportet ut Confeſſor ſibi perſuadeat, & judicet etiàm probabiliter, ità eſſe futurum, ut pœnitens à peccando abſtineat, ſed ſatis eſt, ut exiſtimet nunc habere tale propoſitum, quamvis poſt breve tempus illud ſit mutaturus.* Judicent Cenſores Romani æquiſſimi & religioſiſſimi, an hæc propoſitio ſit toleranda, & ſacra cum Traditione conveniat. Certè Epiſcoporum gemma, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ Archetypus ſanctus Carolus Borromeus, doctri-

nam

nam Suaresii & Francolini improbat in Instructione Confessariorum pag. 767. *Confeßarios monitos volumus*, (inquit) *ut iis quos peccata non dimissuros probabiliter existimabunt, quantumvis polliceantur ac spondeant ea se dimissuros, absolutionem procrastinent, quoad emendationem perspexerint; necnon iis qui per multos annos in eadem peccata prolapsi erunt, neque operam ullam ad correctionem vitæ contulerint.*

Francolinus Tomo secundo paginâ 277. sententiam quæ requirit necessitatem amoris inchoati Dei super omnia ad consequendam in Sacramento pœnitentiæ justificationem carpit. Qua in re Decreto Alexandri Septimi Romani Pontificis non gerit morem. Item Tomo secundo pag. 302. loquens de tartareo supplicio Francolinus hæc scribit notatu digna: *Hoc fortè evadunt hodie plures, quàm olim; eoque plures, quo plures sunt hodie pœnitentes.* Hîc cum Guigone piissimo Chartusiensium Præposito

Tom. II Pag. 277.

Tom. II Pag. 302.

Ge-

Generali exclamare necessum est, si vera sunt, quæ Francolinus chartæ mandat: *O Apostolorum tempora infelicissima! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei, tàm duras vias custodiebant., & hæc nostra compendia nesciebant!* Non ita sentiebat Felix Tertius Romanus Pontifex Epist. 3. *Nihil* (inquit) *per nostram facilitatem tribunalis excelsi judicio derogatur, cui illa sunt rata quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt.* Item Tomo secundo pag. 303. hæc scribit Francolinus: *Non efficimus quidem ut tanto cum merito salventur pœnitentes, sed efficimus ut longè plures salventur peccatores.* Oculatiores ac prudentiores sunt novi Casuistæ, Francolini sententiâ, sanctis Patribus; hi quippè asperam & longam à scelestis hominibus pœnitentiam exigentes, innumeros detrudebant ad tartara, quòd pœnitentiæ laboriosæ jugum nollent subire; illi peccatores penè

Tom. II Pag. 303.

penè omnes ſalute donant æternâ, benignâ illâ indulgentiâ, quâ ſolent eos excipere in ſacro Pœnitentiæ tribunali. Rurſus hîc exclamare liceat: O cœcos, imprudentes, crudeles Patres! O benignos, prudentes, oculatos recentes Caſuiſtas, probabiliſſimi vagi & maximæ benignitatis ſequaces! Item Tomo ſecundo pag. 304. hæc habet Francolinus: *Imò fit ut populi paſtores ſuos diligant magis, quàm olim, cùm omnes Epiſcopi (ſi vera ſunt quæ dictis,) certè non pauci, ut oſtendi diſputatione nonâ partis primæ, ſeveriùs in delinquentes animadverterent &c.* Hîc ſe facit complurium Epiſcoporum judicem Francolinus: hîc multâ cum libertate accuſat ipſos nimiæ ſeveritatis; hîc novo jure Sacerdos ſimplex Eccleſiæ Principes Illuſtriſſimos cenſurâ inurit graviſſimâ. Videant Epiſcopi an id novi juris tribuendum ſit homini privato: ipſorum refert tantam comprimere petulantiam; ego malum detego, ipſi antidotum malo peroportunum adhibeant.

Tom. II Pag. 304.

Tom. II Pag. 343. Francolinus Tomo secundo paginâ 343. inter Rigorismi consectaria ponit sententiam, quæ adstringit peccatorem confiteri peccatum, quo probabiliter, non tamen certò abstinuit. Certè hæc opinio omninò vera est, contraria planè falsa: tùm quia non satis consulit integritati & simplicitati Confessionis Sacramentalis: tùm quia illi qui scienter mortalia peccata, quæ probabiliter admiserunt, omittunt, ad praxim revocant hanc ab Innocentio damnatam propositionem: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore:* Incertum quippe, an deditâ operâ omissis peccatis probabilibus mortiferis, valeat confessio; tùm quia Concilium Tridentinum ab onere Confessionis excipit sola delicta venialia: ergo probabilia mortalia suo decreto de confessionis integritate complectitur. Postremò quia pœnitens peccata mortalia probabilia seu dubia non declarans exponit se periculo celandi aliqua

aliqua mortalia delicta, quæ Christus præcipit confiteri. Sacrilegium itaque committit, ut docet sanctus Thomas quæst. 6. supplementi art. 3. ad 3. subindeque confessionem iterare tenetur.

Denique Francolinus Tomo secundo pag. 343. inter Rigorismi appendices resecandas ponit sententiam Theologorum doctissimorum, qui circunstantias peccati malitiam insigniter augentes, esse à pœnitente declarandas contendunt. In eo totus est Francolinus, ut Clericum Romanum doceat laxitatem: intereà, quod nostri est instituti, cursim persequamur, & ostendamus, pœnitentes adstringi aperire in sacro pœnitentiæ tribunali circunstantias, peccati malitiam insignitè augentes. Primò, quia circunstantiæ aggravantes peccati malitiam augent: gravius quippe delictum est, v. g. furari decem nummos, quàm decem asses: ergo illi graviori peccato major debetur pœna: ergo necessum est aperire circunstan- *Tom II Pag. 343.*

tiam aggravantem, quò Confessarius de gravitate criminis rectè judicet, & pœnam convenientem atque salutarem injungat. Secundò, quia ratione circunstantiarum aggravantium, Episcopi sibi peccata quædam reservant, ut incestum in primo gradu: censent igitur eas circunstantias Confessario esse detegendas. Tertiò, quia Catechismus Romanus parte 2. de pœnitentia num. 63. illas circunstantias esse manifestandas docet apertè: ergo censet Ecclesia (cujus doctrina habenda est, quæ illo in Catechismo traditur) circunstantias aggravantes, sine crimine omitti non posse. Hinc sanctus Carolus Borromæus in Instructionibus Confessorum à quarta Synodo Mediolanensi probatis, monet Confessarium apprimè scire debere, *Circunstantias peccati speciem mutantes, aut augentes: nam hæ duæ circunstantiarum species debent necessariò explicari.* Unde Innocentius Undecimus hanc proscripsit laxorum propositionem: *Non tenemur*

Confeßario

Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Paucis Francolini errores deteximus, profligavimus: præstat impræsentiarum apertas & compertas calumnias, quas plenâ manu suo spargit in opere, Lectoris candidi oculis subjicere; ut quibus artibus, quibusve armis suos lacessat adversarios laxitatum inimicos, fiat omnibus exploratum. Nolo fidem mihi habeas; syllabum calumniarum ex ipsis Francolini verbis profero, ut ipse explores dolo-ne, an sincerè retulerim. Si librum perlegeris, plures occurrent tibi calumniæ quæ in hoc syllabo desiderantur; exscribendum enim totum ipsius opus, si omnes hîc collegissem. Iis verò exploratis, non dubito, quin boni consulas hunc meum laborem, & impositam fatearis justæ defensionis necessitatem, ne tot calumniis pateret nomen virorum Catholicorum.

Tom II Pag. 343.

OBSERVATIO VI.

Deteguntur variæ Francolini calumniæ, passim & ex occasione viris summis afflictæ.

Tom. I. Præf. num. 3. FRancolinus Tomo primo, Præfationis numero 3. scribit, *ab aliquot annis in Belgio quàm plurimos, non paucos in Galliis, aliquos in Italiâ, ut à quibusdam suis doctrinis speculativis, quas exagitari videbant, omnem erroris suspicionem propulsarent, rigorem quemdam in doctrinis moralibus profiteri.* Scribit etiam in Epistolâ Pag. 14 Epist. ad Clericum Romanum datâ, paginâ mihi 14. Editionis Romanæ anno 1705. Regiones, Academias, Familias, Collegia pestilentissimo Jansenismi ac Rigorismi morbo laborare. Utramque illam immanem & apertam calumniam jam lato satis exsufflavimus calamo superiùs observatione primâ, quò Lectorem remittimus,

ne

ne repititionis vitium incurramus cum cruce legentium.

Tomo primo paginâ 17. inducit Doctorem Rigoristam inficiantem à Deo remitti peccata quædam. *DOCTOR DISCRETUS : Est autem fide certum, à Deo nulli rite dolenti veniam negari. DOCTOR RIGIDUS : Quin imò hoc incertissimum est, aut etiam oppositum certum est ex Christo Domino, ex Divo Paulo, & ex Joanne: Christus enim Matth. 12. & Marc. 3. docet blasphemiam, seu peccatum in Spiritum sanctum, nec remittendum in hoc sæculo, neque in futuro &c.* Tomo etiam primo pag. 93. numer. 22. sic loquentem inducit Doctorem rigidum : *Quis nescit à Deo remitti peccatum, & quemcumque relapsum? hoc docet sanctus Doctor, non autem remitti ab Ecclesia.* Hic te compello, Francoline mi, ubi sunt in Belgio, in Galliis, in Italia novi illi Montanistæ & Novatiani, qui hæc dogmata profiteantur? nomina eos, si potes. Cur neminem laudas nomina-

Tom. I. Pag. 17

Tom I. Pag 93 n. 22.

natim? ſanè quia nulli ſunt. Non decet magnum Francolinum cum larvis luctari: heroem dedecet cum hoſtibus umbratilibus decertare. Non negabis, opinor, Arnaldum, Abbatem de Bourzeys, Girardum, Paſchalem, Nicoleum, Sacyum, Joannem Vergerium, qui Sancyranus audit, Queſnellium, Hermant, Jueninum, & alios permultos, judicio tuo, & Rigoriſmum & Janſeniſmum ſapere: teruntur omnium manibus opera illorum ſcriptorum: profer, quæſo, loca, quibus eos Montaniſmi & Novatianiſmi convincas. Nullum citas; nullum igitur, nec tu, nec tui ſimiles offendere unquam potuerunt. Inverecundus igitur es calumniator.

Tom. I. Pag. 65 Tomo primo pag. 65. hæc habet Doctor diſcretus, ſeu Francolinus: *Non paucos agnoſco, qui callent optimè quid Concilium Gangrenſe, quid Ancyranum, quid Laodicenſe ſtatuat; ignorant autem Canones Tridentinos.* Illiberalis calumnia, quæ confutatione haud

haud eget! neminem citas, Francoline mi, verba tantùm das, fidem non promereris; nec enim hosti jurato prudenter creditur, nisi momenta proferat solaribus radiis clariora.

Idem Tomo primo paginâ *66.* sic commentarium historicum & dogmaticum de Sacramentis Gabrielis Juenini, doctissimi Theologi Congregationis Gallicanæ Oratorii Jesu, suggillat alloquens Rigoristas: *Historico-dogmaticas Theologias plenas Patribus, sed contrarias Patribus, antiquitatem sonantes, & novitatem spectantes cuditis.* Profundis verba, Francoline, at probas nihil; non credimus tibi: mendaces enim faciunt, ut iis, etiamsi vera dixerint, non credatur; quantò minus putidissimas calumnias profundentibus. Doctissimorum virorum, qui Juenini opus illud avidè perlegerunt, & summo cum plausu probarunt, eruditionem ac suffragium censorium judicio tuo anteponimus; imprimis cùm laxitatis tuendæ æstu Tom. I. Pag. 66

percitus

percitus pugnantia loquaris, quippè ais in Præfatione numero 5. *Merbesium quoque & Jueninum suâ laude dignos judico; ac propterea calori disputationis tribuatur, si quid excidit, quod minùs reverenter dictum videatur.* Oblitus es, Francoline mi, proverbii, *oportet mendacem esse memorem.*

Tom. I. Pag. 69 Tomo primo paginâ 69. complures illos in Belgio, in Galliis, in Italia aliquos Rigoristas, Doctores, Regulares, Presbyteros sæculares bellè depingit Francolinus: *Sed vos* (inquit) *tristitissima capita, hostesque generis humani odia dilatatis, & beneficia ipsa divina restringitis, & nescio quo jure tanquam Domini, & non œconomi, Sacramenta pro libito denegatis.* Rideo bilim tuam, Francoline; sunt verba & voces, prætereáque nihil. Hîc sapientis consilio morem geram dicentis, *ne respondeas stulto juxta stultitiam ejus.* Hîc non miror, tristissima capita displicere Francolino, in quo magnus in jocando lepos est. Audi Lector sales, jocos,

jocos, facetias Francolini Tomo primo paginâ 104. interrogantis Doctorem rigidum : *Quo tempore celebratum fuit Concilium Toletanum Tertium ? à quibus Patribus ? DOCTOR RIGIDUS: A Patribus Toletanis. DOCTOR DISCRETUS : Erudita responsio! Putabam esse celebratum à Patribus Ephesinis. Hoc peto, qui fuerint hi Patres Toletani? Qui nempe Toletum ad hoc celebrandum Concilium convenere.* Gratulamini vobis, Romani Clerici, quod habeatis Magistrum indolis adeò festivæ, genii adeò mollis, animi adeò lenis; *non licet omnibus adire Corinthum.* *Tom. I. Pag. 104.*

Tomo primo paginâ 100. circa medium hæc scribit : *Exclusi sunt de Ecclesiâ, & hæretici facti sunt. Is est finis Rigoristarum.* De vobis actum esset moralium rerum scriptores, qui ad Traditionis trutinam expenditis omnia, si penes Francolinum judicium staret : essetis haud dubiè ejecti ab Ecclesiâ, & hæretici declarati tanquam Rigoristæ; Sed *Tom. I. Pag. 100.*

nihil

nihil timete vobis; non ita judicium præcipitant summi Ecclesiæ Rectores. Ridete minas ejus, & quo cœpistis pede pergite, laxitates mollium Casuistarum ex sanctorum Patrum doctrinâ retundite, usque ad hanc diem sine istâ doctrinâ laxonum mundus Christianus fuit.

Tom I. Pag. 104. Tomo primo pag. 104. hæc scribit Francolinus: *Rigidiorum Doctorum mos est aut ab hæreticis arma sumere, aut ea hæreticis subministrare.* Crede mihi, Francoline, perpauci sunt hæretici, qui rigidiores in moralibus Doctores ament; iis plerumque nec diuturnæ lacrymæ, nec pœnitentia laboriosa, nec cinis, nec cilicium perplacent: contrà verò molles, laxi, benigni plus justo Doctores omnium penè hæreseon monstra pepererunt. Id videre est in Nicolaitis, Gnosticis, Millenariis, Beguardis, & Beguinis, Dulcinistis, Turlupinis. Quintinistis, Illuminatis, Quietistis, Adamitis, Lutheranis, & Calvinianis.

Tome

Tomo secundo in Præfatione pag. 1. hæc scribit Francolinus : *En illa calumniatorum acies ; non illa quidem in veterem Ecclesiam armata , sed in præsentem , quam veluti degenerem errantemque , & cum pœnitentibus nimis benignam , perpetuò projectant.* Nobile mendacium profers , Francoline mi , nemo Gallus , Belga , Italus , nemo Doctor , Regularis , Presbyter in Romanæ Ecclesiæ gremio versans , proscindit Ecclesiam ceu degenerem errantemque , & cum pœnitentibus nimis benignam ; venerantur omnes in Ecclesiâ Spiritus sancti doctrinam , Apostolorum instituta , exempla Patrum , leges Canonum , Tridentinas sanctiones , sanctorum Episcoporum vota , & summorum Antistitum decreta omnia. Contendunt duntaxat pii & docti , quibus animarum salus cordi est , errare sanè , & vehementer errare eos , qui grassantes quorumdam Ecclesiasticorum abusus circa pœnitentiæ Sacramenti administrationem , cum Ecclesiæ

Tom. II in Pr. Pag. 1.

Ecclesiæ Catholicæ usibus & moribus confundunt: nam Ecclesiasticam disciplinam hominum vitio posse depravari fatetur Synodus Tridentina: unde tot, ad eam restituendam, de reformatione sanctiones edidit; nec minùs de restaurandâ collapsâ disciplinâ, quàm de opprimendis hæresibus fuit sollicita. Contendunt illud Ecclesiæ consuetudinibus accensendum, non quod Ecclesia quandoque propter miserrimi ac luctuosissimi temporis calamitates, gemebunda tolerat, sed quod decretis probat, quod per Episcopos divini spiritus flammâ succensos operatur, quod in sanctis Patrum instituta consectantibus extollit, quod collaudant Pontifices, quod universa demùm Ecclesia cum plausu & fructu imperat, & cum religione retinet, & summo honore veneratur. Cætera quamlibet passim & à multis frequentata, inter abusus reponenda sunt, si à Patrum institutis, Canonum legibus, summorum Pontificum decretis, veteris

Ecclesiæ

Ecclesiæ usu abhorreant. Res enim Ecclesiasticas non moribus humanis, sed divinâ auctoritate & Ecclesiæ Catholicæ Traditione metiri oportet. Hæc graviter pius doctusque Contensonus ævi sui Jeremias alter, in tractatu de pœnitentiâ dissertatione unicâ, cap. 2.

Francolinus Tomo secundo pag. 9. suggillat Illustrissimum Castoriensem Episcopum Joannem Neer-Cassel, quòd benigniorem praxim erga lapsos vocet *lanuginosam, cæcamque consuetudinem, introductam à temeritate, quæ nescit artem animabus medendi, & ab ignavo timore, qui quærit hominibus placere.* Doctus & pius ille Præsul in opere suo, quod inscribitur, *Amor pœnitens*, quodque aliquot Episcopi & Doctores Sorbonici & Lovanienses clarissimi summâ cum laude probarunt, nunquam Ecclesiæ Catholicæ praxim genuinam erga lapsos reprehendit, sed invehitur duntaxat in abusus quorundam Sacerdotum mollium, qui peccatoribus in mortalia *Tom. II Pag. 9.*

peccata

peccata continuò relabentibus, atque criminosæ vitæ seriem post iteratas Confessiones minimè emendantibus, sine dignis pœnitentiæ fructibus præmissis suæ conversionis sinceritatem probantibus, absolutionis Sacramentalis beneficium statim impertiri non erubescunt; & quod scelus longè gravius est, suam ipsam corruptelam tanquam præsentis Ecclesiæ benignitatem atque receptam consuetudinem falsò venditant. Quid mussas, Francoline, an id potes ire inficias? Si neges, infinitis opprimam te locis Episcopi Castoriensis ex prælaudato opere desumptis. Sed ad alia transeo; ne irreparabile tempus miserè conteram.

Tom. II Pag. 180. Tomo secundo pag. 180. Rigoristas alloquens Francolinus ait: *Patres legitis animo iam partis studio occupato, & ad errores vestros obfirmato, quo nullum lectioni inficiendæ præsentius venenum &c.* In eos qui Patrum monumenta evolvunt, qui Conciliorum Canones lectitant, qui traditione

scripta

ſcripta ſua infarciunt, non ſemel debachatur Francolinus, quaſi in Novatores, Rigoriſtas, Eccleſiæ hoſtes; ſcilicet odit homines doctos & pios, qui ex retroactæ antiquitatis monumentis horrenda probabiliſtarum monſtra detegunt, profligant, revincunt. Non effugies, Francoline mi; novimus tuas artes, ſolos incautos, cœcos, imperitos Lectores opere tuo faſcinabis; qui verò emunctæ ſunt naris, ad unum omnes juſtam gravemque concipient indignationem, adversùs lucubrationem tuam.

Francolinus Tomo ſecundo paginâ 188. Rigoriſtas alloquens hæc ſcribit: *Semel dictum in Tridentino legitis, peccatorem, antequam juſtificetur, incipere Deum diligere; ſtatim infertis, ab Tridentino requiri actum perfectæ contritionis in Sacramento Pœnitentiæ.* Tom. II Pag. 188. Contorquet hîc Francolinus calumniam in prætenſos Rigoriſtas; illi enim, imperfectam contritionem, ſeu charitatem inchoatam, duntaxat exigunt ad peccatoris juſtificationem

in Sacramento pœnitentiæ ſequendam, minimè verò contritionem perfectam, id eſt, charitatem intenſam, magnam, numeris omnibus abſolutam, ut fatetur ipſe Francolinus ſecum pugnans Tomo ſecundo pag. 276. ubi hæc ait : *Hinc quamvis tutior eſſet ſententia, quæ doceret nos teneri procurare dolorem non ſolùm perfectæ, ſed perfectiſſimæ charitatis, eumque valdè intenſum, adhuc non teneremur, ut vos conceditis, eam ſequi.* Hìc obiter obſervare libet, Francolinum ſancto Thomæ imponere, cum Tomo primo pag. 248. ſcribit ſanctum Doctorem exertè docuiſſe attritionem ſufficere in Sacramento pœnitentiæ, ad impetrandam peccatorum veniam. Præceptor Angelicus ubique in contrariam pedibus manibuſque deſcendit ſententiam. Quæſt. 7. Supplem. art. 1. ad 2. ait : *Confeſſio præſupponit charitatem, quâ quis vivus efficitur : Contritio autem eſt in quâ datur charitas.* Opuſc. 22. cap. 2. inquit : *Sacerdos eum non debet abſolvere*

vere, in quo signa contritionis non videt, per quam homo justificatur interiùs à Deo culpâ remissâ. 3. part. quæst. 83. art. 6. hæc habet: *Actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei.* 3. part. quæst. 86. art. 6. docet: *Requiri ad rationem veræ pœnitentiæ, ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.* Id propugnat mille aliis in locis, ut in 4. Sentent. dist. 20. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. in responsione ad 1. & lib. 4. cont. gentes cap. 72. & 3. part. quæst. 85. art. 5. *Actus pœnitentiæ* (inquit) *à timore servili procedit, sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato; à timore autem filiali, sicut ab immediato & proximo principio.* Loca sancti Thomæ allegata adeò sunt luculenta & perspicua, ut mirum omninò sit, nonnullos Thomistas aliter sentire. Non ausus est Francolinus vel unam sancti Thomæ sententiolam pro se afferre, adeò subodoratus est minimè favere Præceptorem Angelicum. Loca sancti Tho-

mæ plurima generatim indicavit, sed ne vel unus ad rem facit, ut observavimus, & in promptu esset demonstrare, si nobis suscipiendi illius oneris necessitas incumberet.

Tomo secundo pag. 258. Franco-
Tom. II Pag. 258. linus sic prætensos sæculi nostri Rigoristas cum Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico denigrat: *Vestra severitas* (inquit) *virtus non est, sed aut humor quidam capitis tetricosi, suspiciosus timor, ardor biliosus, aut potiùs subtilis ambitio, novandi cupiditas, perturbatio disciplinæ, Ecclesiæ contemptus ex errore nascens, & in alios errores, in schismata tandem erumpens. Id satis ostendit exitus multorum ex vestris, sed ejus præsertim, ut cæteros taceam, quem aliàs nominavi, vestræ Scholæ Doctorem primarium, Authorem libri de frequenti communione. Rigorem ille, ut nostis, adamavit imprimis, hinc novandi amor, hinc ambitio quædam censoria, hinc turbæ, hinc errores varii, hinc contumacia, tandem schisma*

ma manifestum. Quantùm fellis, quantùm aceti, quantùm salis inest hisce verbis, Doctor benigne Francoline mi! Quis crederet à Doctore benignitatis nimiæ ubique patrono Fratres, Presbyteros, Regulares, Doctores, in Belgio, in Galliis, in Italia percelebres, magnique in Ecclesia nominis tàm falsè illudi, vellicari, morderi? Bone Deus! nunquam-ne comprimetur furor ille impotens maledictis onerandi adversarios doctrinæ Molinianæ, probabilismi, & corruptelæ circa mores? Non unam omnium esse de Antonio Arnaldo sententiam, mihi certè haudquaquam ignotum: at illum manifesto in schismate vitam clausisse, convicium est inauditum. Dilue si potes, Doctor egregie; argumentum istud in Scholæ formâ propositum: Ille manifesto in schismate extremum non obiit diem, quem Ecclesia nunquam declaravit hæreticum, qui in Romanæ Ecclesiæ gremio mortem oppetere profitetur

ſuo in teſtamento, quo familiariter uſi ſunt permulti Eccleſiæ Gallicanæ Præſules, quâ pietate, quâ religione inſignes, quem Sanctiſſimus Pontifex Innocentius Undecimus Apoſtolicâ dignatus eſt benedictione, ac Sorbonici Doctoris titulo inſignivit, etiam poſt Decretum ſacræ Facultatis Pariſienſis, latum anno 1656. quo ejus nomen ex Doctorum albo expunctum eſt, cujus etiam precibus ſe commendavit Beatiſſimus Pater: Sed Eccleſia Antonium Arnaldum nunquam declaravit Schiſmaticum, Arnaldus ipſe ſuo in teſtamento typis dato vitâ defungi ſe velle in Romanæ ſinu Eccleſiæ haud obſcurè ait, toto vitæ ſuæ curriculo neceſſitudinis arctæ vinculo junctus eſt cum pluribus Galliarum Epiſcopis, & pietate & religione conſpicuis, uti liquet ex variis Epiſtolis, quæ publici juris factæ ſunt, à Sanctiſſimo Pontifice Innocentio Undecimo donatus eſt benedictione Apoſtolicâ, tituloque Doctoris Sorbonici etiam poſt turbas,

ejus

ejus occaſione, in Sorbonâ excitatas, illius ſe precibus commendavit piiſſimus Papa, uti patet ex Brevi dato ad Antonium ipſum Arnaldum Doctorem Sorbonicum, quod legere eſt in fronte Operis aurei Arnaldini cui titulus, *Perpetuitas fidei de Euchariſtia.* Igitur atrocem calumniam profert, qui aſſerit Antonium Arnaldum Doctorem Sorbonicum manifeſto in ſchiſmate è vivis abiiſse.

Tacitè dein ſuggillat Francolinus præclarum Arnaldi opus Gallicum prænotatum, *Frequens communio:* ſed in caſſum: ſiquidem nemo neſcit opus illud à ſexdecim Epiſcopis, & Archiepiſcopis Gallicanis tàm piis, quàm doctis commendatum & probatum, à pluribus Sorbonicis Doctoribus clariſſimis recognitum & ſummâ cum laude celebratum; frementibus licet æmulis, inclamantibus, & triginta annos nihil non agentibus, quò à ſancta Sede prohiberetur, nulli ſubjectum fuiſſe cauterio, nullo Romano contritum fulmine.

Hanc ipſam calumniam inſtaurat Francolinus in Appendice ad Tractatum de dolore ad Sacramentum pœnitentiæ ſufficienti ; cumque eximium opus diſerto Eccleſiæ decreto damnatum oſtendere nequeat, propoſitiones ab Alexandro Octavo proſcriptas, ex illo ipſo depromptas effutit. Calumniaris audacter, Francoline : deſigna, ſi potes, aperta minimeque truncata eruditiſſimi operis loca, è quibus proſcriptæ propoſitiones excerptæ ſint ; & quid Sodalibus tuis hoc idem objicientibus, non ita pridem peculiari ſcripto reſponſum eſt, confuta, ſi ſenſum habes. Id ni feceris, calumniatoris notam non effugies.

Præſentem obſervationem aureis ſancti Auguſtini verbis claudere operæ pretium exiſtimavi : *Nolo plura dicere de re tantâ* (inquit alicubi Sanctus Doctor,) *quia meliùs eam committo fidelium gemitibus, quàm orationibus meis. Cum iſtis non tàm diſputationibus, quàm orationibus eſt*

agendum :

agendum : plus eis sine dubitatione præstamus, si ut corrigantur, oremus, ne cum tantis ingeniis vel pereant, vel alios perdant præsumptione damnabili. Libet in præsenti tribus, quod ajunt, verbis excutere disputationes omnes Francolini, in quibus eruditionem jactat suam, & veterem recentemque Ecclesiam à commentitiis Rigoristarum prætensorum calumniis vindicare contendit.

OBSERVATIO VII.

Duodecim capitales calumniæ, quibus Ecclesiam veterem à Rigoristis impeti comminiscitur Francolinus, quasque idcircò oppugnandas aggreditur, expenduntur, ac fictitiæ demonstrantur.

OBservare in primis præstat, illam omnem retroactæ antiquitatis eruditionem, quæ in Francolini

colini opere offenditur, uni deberi Morino, viro in antiquitate Ecclesiasticâ versatissimo, quem ubique passim exscripsit audacissimus plagiarius. Unde si prudenter egisset Francolinus, maluisset latere, quàm se prodere, ne inter scribendum eamdem sortem haberet, quam nactus est olim asinus Cumanus, qui repertum leonis exuvium adaptarat corpori suo, atque ita leo creditus timebatur, donec quidam ex aurium prominentium indicio sensit esse asinum, ac deinde fuste contusus ad stabulum, unde exierat, redire compulsu est.

Miranda certè novi Pædagogi ars, qui cùm Ecclesiam veterem à commentitiis suis illis Rigoristis, conflatâ veluti sectâ atque factione, conviciis appeti, probare instituat, priori operis sui parte, eas congerit probationes, quæ Rigorismum aut commentitiam esse sectam evincant, aut in ipsâ Societate vigere, palàm ostendant.

In

In primis enim, qui ſectam dicit atque factionem, non unum alterumve hominem dicit, ſed certam hominum, in idem dogma ſtatuendum ac propugnandum conſpirantium, turbam, eamque non modicam. At nonnullæ ex iis calumniis à Francolino notatis & impugnatis, quibus veterem Eccleſiam à Rigoriſtis infamari ait, ab uno duntaxat alterove Scriptore propugnatæ reperiuntur; imò nonnullæ à nemine penitùs aſſeruntur; earum multæ non à viris præſentibus, aut hac ipſa ætate noſtrâ ſcribentibus aſſertæ feruntur ab ipſomet Francolino, ſed à viris ante centum & amplius annos vitâ functis; multæ, quod mirandum magis, ab ipſis Societatis Theologis primæ notæ, Petavio, Sirmondo, Garnerio, Labbæo, aliiſque prolatæ perhibentur: fictitia itaque ſecta eſt Rigoriſmus, aut certè in ipſa etiam Societate fovetur. Hæc autem longè magis conſtabunt ex peculiari cujuſque calumniæ examine.

Fran-

Disp.1. prima partis. Francolinus disputatione prima prioris partis hanc propulsandam ponit in medio calumniam contra veteris Ecclesiæ severitatem : *Clericis, præsertim majoribus in quædam scelera prolapsis vetus Ecclesia veniam negavit.* Dic, amabo, sodes, ubi sunt recentes Rigoristæ, qui hanc tueantur calumniam ? Quinam illi sunt? Cur neminem citas illius calumniæ assertorem ? An voluisti parcere nomini Rigoristarum ? minimè gentium. Laudas neminem, quia nullum illius calumniæ architectum ostendere potuisti. Siccine imperito Lectori fucum facis ? Siccine ludificaris Clericum tuum Romanum, quem informare instituis? Siccine cum larvis & umbris luctaris, ut inanem ac vanum agas triumphum ? haud ita se gerunt, qui candidè agunt. Bonæ frugis homines quotquot extant in orbe terrarum, qui tuum criticis oculis opus lectitabunt, illicò damnabunt te calumniæ, & inquient dedecere virum Theologum, Presby-

byterum ,

byterum, Religiosum, Romani Clerici Magistrum fingere calumniam in adversarios, eo ipso tempore quo illatas veteri Ecclesiæ calumnias totis viribus conatur depellere. Cum Romanum Clericum haud benè instituas, permitte, rogo te, ut hanc ipse ego omni exutus præjudicio suscipiam provinciam.

Publicæ pœnitentiæ genus, cui olim Clerici majores, à quarto sæculo usque ad septimum, subditi erant, istud est: videlicet deponebantur, in Monasteria vel alia obscura loca mittebantur pœnitentiam acturi, ad laicam duntaxat communionem toto pœnitentiæ tempore accedebant, ac demùm dum Ecclesiæ reconciliabantur, nulla eis, ob sacri honorem characteris, fiebat manuum impositio. Huc facit Synodus Eliberitana anno 305. can. 76. *Si quis* (inquit) *Diaconum se permiserit ordinari, & posteà fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confeßus, placuit*

cuit eum, actâ legitimâ pœnitentiâ; post triennium accipere communionem: quod si alius eum detexerit, post quinquennium, actâ pœnitentiâ, accipere communionem laicam debere. Huc pertinent Concilii Neocæsariensis anno 314. Canon primus, Concilii Carthaginensis quinti anno 398. Canon secundus, Felicis Tertii sexto ineunte sæculo Epistola septima. Clerici minores, non secus ac laici, olim pœnitentiæ publicæ subjacuerunt: septimo tamen vertente sæculo, eandem cum Clericis majoribus pœnitentiam persolvere cœperunt. Eâ in re conveniunt eruditi, neque vacat hîc momenta proferre, quibus hæc propositio fulciatur. Nemo tamen inde intulit, Clericis majoribus in quædam scelera prolapsis negatam esse simpliciter veniam.

Disp. 2. primæ partis. Disputatione secundâ primæ partis hanc aggreditur Francolinus removere calumniam à priscâ Ecclesiâ: *Quibusdam criminibus, nempe apostasiæ, homicidio, & adulterio, nunquam fuit*

per

per aliquot sæcula data venia. Non diffiteor, unum vel alterum olim censuisse eruditum, idololatris, homicidis, mœchis, absolutionem Sacramentalem à florentissimis Ecclesiis, Romanâ scilicet, Carthaginensi, & Hispaniensi negatam fuisse in supremo etiam vitæ discrimine; quâ in re à vero aberrarunt. Constat enim momentis invictis, nullas Orientis Ecclesias, nec Occidentis celeberrimas, Romanam, Carthaginensem, Hispaniensem, absolutionis Sacramentalis beneficium lapsis pœnitentiâ functis negasse unquam. Unde tempus teris, Francoline mi, cum rem hodiernis quos fingis Rigoristis obviam, & ab omnibus datam suscipis demonstrandam. Scriptor quidem doctissimus Dionysius Petavius in suis ad Epiphanium notis hanc Eliberitanis Canonibus affinxerat inclementiam; at sodalis tuus est ille, non ex eo, quem modò fingis, Rigoristarum numero. Quamquam & ipse, re meliùs inspectâ, postmodùm ab ea sententiâ
recessit,

recessit, in suis ad Synesium notis. Illam usque adeò sinistram Eliberitanorum Canonum explicationem satis condemnat antiquæ pietatis & eruditionis specimen Cyprianus Epist. 2. ad Antonianum, sic dicens contra Novatianos: *Miror quosdam sic obstinatos esse, ut dandam lapsis non putent pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam.*

Disp.3. primæ partis. Tertiâ disputatione Francolinus hanc curat depellere calumniam: *Iis qui studiose distulerant ad extremum vitæ pœnitentiam, negata penitùs absolutio fuit.* Non sum nescius, Francoline mi, existimasse quosdam eruditos, canonicorum criminum reis, in supremo vitę discrimine, absolutionem Sacramentalem negatam fuisse quatuor prioribus sæculis, si in infirmitate solùm pœnitentiam postulassent: sed & illorum aliqui ante excitatas Jansenianas turbas scripsere, & nihil cum novis, quos comminisceris, Rigoristis commune habent. Propositionem illam tu solus audes calumniam appellare

appellare impositam veteri Ecclesiæ. Non ita se gerunt viri docti & modesti, qui contrariam sequuntur sententiam. Habet illa prædicta propositio duo momenta quibus vix potest fieri satis. Primum ducitur ex sancto Cypriano Epist. 52. ubi ait de canonicorum criminum reis: *Eos prohibendos omninò censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed morbi urgentis admonitio compellit.* Porrò nomine communicationis & pacis, ipsam absolutionem à peccatis intelligi, inde patet, quia ipsis defectu pœnitentiæ negabatur. Alterum sumitur ex Concilio Arelatensi primo anno 314. Canone ultimo: *Apostatis qui in infirmitate correpti petunt communionem, placuit non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ*: At communio quæ negatur defectu fructuum pœnitentiæ, nil nisi absolutionem à peccatis sonat.

Igitur illorum ſententia eruditorum non caret omni probabilitate. Perperàm itaque appellatur calumnia, veteri Eccleſiæ illata; ineptè verò Rigoriſtis illis tuis propria dicitur, cùm & ab illorum aliquibus impugnetur, & ab aliis, nihil plane cum tuâ illâ fictitiâ ſectâ commune habentibus, defendatur.

Francolinus diſputatione quartâ hanc proponit calumniam diluendam: *Reis ad mortem damnatis olim Eccleſia veniam negavit, aut negari permiſit.* Nemo hiſce temporibus hanc tuetur propoſitionem, ſi vel unum excipias Morinum, cujus manifeſtus plagiarius es. At placet-ne tibi, ut unus ille factionem ac ſectam conflet, toto latè Belgio, Galliâ & Italiâ diffuſam? Si ſectam unus ille conflat, extincta itaque cum illo jam pridem eſt. Conſultiùs feciſſes, Francoline, ſi novella probabiliſtarum monſtra, quæ tot in mollibus Caſuiſtis recentibus comparent, profligaſſes, quò Clericum tuum Romanum à periculoſis

Diſp. 4. primæ partis.

lofis illis laxitatibus revocares; quâ in re Vincentii Lirinensis aureum monitum secutus esses: *Mos iste in Ecclesiâ semper viguit, ut quò quisque foret religiosior, novellis adinventionibus contrairet.*

Disputatione quintâ hanc Francolinus repræsentat calumniam propulsandam; *Iis qui post solemnem pœnitentiam relaberentur, Ecclesia vetus veniam & absolutionem etiam in morte negavit.* Nemo propositionem tuam, mi Francoline, ut jacet universaliter sumptam propugnavit unquam. Contenderunt tantùm nonnulli viri docti ætatis nostræ, quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis, iis qui actâ semel pœnitentiâ publicâ & solemni, in eadem vel nova crimina canonica labebantur, nullum pœnitentiæ seu publicæ, seu privatæ patuisse aditum. Fateor non illibenter momenta quibus suam fulciunt opinionem perdocti illi nostrorum temporum Theologi, non esse firma; unde contraria sententia longè probabilior & commu- *Disp. 5. primæ partis.*

nior eſt, præſertim in Academia Pariſienſi, ut nobis exploratum eſt. At quo jure hanc Rigoriſtis illis tuis ſcabiem affricas?

Francolinus diſputatione ſextâ hanc exhibet calumniam diſſolvendam: *Pœnitentibus injungebat olim Eccleſia publicam occultorum quoque criminum confeſſionem.* Hanc propoſitionem, ut jacet, nulli Scriptori Catholico excidiſſe arbitramur. Citas loca Ruardi Tapperi, Lindani, Alani Copi, Pamelii; ſed noſtrum in animum inducere non poſſumus, magnos illos viros Eccleſiæ veteri hanc impegiſse calumniam: verùm hac de re pleniùs agemus octavâ obſervatione, ubi de falſationibus & interpolationibus, quibus authores nonnullos de Eccleſia benè meritos adulteraſti, diſſeremus. Satis hîc fuerit obſervare, non noſtri, ſed ſuperioris ævi ſcriptores illos eſſe, quibus hanc calumniam Eccleſiæ illatam affingis: adeoque perperam inde colligi, ſerpere nunc in Eccleſiâ Catholicâ tuum illum, quem

Diſp. 6. primæ partis.

com-

comminiſceris, Rigoriſmum.

Diſputatione ſeptimâ hanc profert calumniam diluendam: *Publica pro delictis etiam occultis pœnitentia ſubeunda fuit ex veteris Eccleſiæ diſciplinâ.* Ferendum non eſt, privatum hominem ſententiam uno fermè Doctorum calculo probatam calumniæ loco habere, ac traducere eruditiſſimos omnes antiquitatis Eccleſiaſticæ perveſtigatores, tanquam infames veteris Eccleſiæ calumniatores. Hæc eruditorum virorum opinio, contendentium, ſex prioribus Eccleſiæ ſæculis, peccatis etiam occultis, modò ex canonicorum numero eſsent, publicam pœnitentiam fuiſse injunctam, multis iiſque firmis innititur argumentis. *Diſp.7. primæ partis.*

1. Veteres Canones pœnitentiales pœnitentiam publicam imponunt graviorum criminum reis, nec diſtinguunt uſpiam inter publica & occulta peccata. Lege ſi placet Concilium Romanum anno 253. à Clero Romano Sede vacante convocatum; Carthaginenſe primum à ſancto Cypria-

no habitum anno 253. Romanum alterum, ſive primum ſub Cornelio Papa ad inſtantiam ſancti Cypriani celebratum anno 254. Carthaginenſe ſecundum anno ſalutis 255. ſub Cornelio Romano Pontifice à ſancto Cypriano congregatum; Eliberitanum apud Hiſpanos in Provinciâ Bæticâ propè Granatam habitum anno Chriſti 305. ſub Marcello Summo Pontifice; Ancyranum ab Ancyrâ Galatiæ Civitate dictum anno Domini 314. ſub Sylveſtro Romano Pontifice; Neocæſarienſe, hoc eſt, Neocæſareæ in Cappadociâ eodem anno 314. & ſub eodem Sylveſtro Romano Pontifice habitum; Laodicænum, ſive apud Laodicæam Phrygiæ Pacatianæ Civitatem celebratum anno circiter 320. Lege quoque, ſi libet, canonicas Sanctorum Baſilii, Gregorii Nyſſeni, & Gregorii Thaumaturgi Epiſtolas; & videbis in hiſce omnibus veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ erga lapſos monumentis, quod dum Canones lapſos ad pœnitentium claſſes

amandant,

amandant, inter peccata publica & occulta non distinguant: at inter illa distinxissent, ut postremorum sæculorum Concilia apud Latinos habita post sextum sæculum præstiterunt, si in solâ publica scelera animadvertissent pœnitentiâ publicâ: ergo sex prioribus Ecclesiæ sæculis etiam quædam gravia peccata occulta publicæ pœnitentiæ subjacebant.

Secundò, mulieres quæ clam & furtim adulteria commiserant, ut testatur sanctus Basilius Epistolâ 3. ad Amphilochium can. 39. damnabantur per Canones consistentiâ: ea porrò consistentia erat quartus pœnitentiæ publicæ gradus: ergo &c.

Tertiò, sanctus Leo Magnus Epistolâ 80. Episcopos Campaniæ damnat, qui publicam occultorum peccatorum confessionem à pœnitentibus exigebant, eorumque morem improbat, *ut præsumptionem contra regulam Apostolicam*. Cum ergo peccatorum occultorum publicam exomologesim solùm damnet, nullo autem pacto

improbet publicam pœnitentiam, quæ ab Episcopis Campaniæ imponi solebat peccatoribus occultis publicè confessis, consequens est solemnem fuisse in Ecclesiâ morem, ut pro peccatis occultis publica pœnitentia injungeretur, si modò forent canonica. Huc facit Decretum Innocentii Primi Epistolâ 2. ad Victricium Rothomagensem Episcopum Can. 2. huc etiam pertinet authoritas sancti Augustini libro quinquaginta homiliarum homiliâ quinquagesimâ; quæ nos loca brevitatis gratiâ silentio premimus.

Quartò, Catechismus Romanus parte 2. de Sacramentis cap. 5. de Sacramento pœnitentiæ num. 67. hæc habet: *Quare sapientissimè illud ab Ecclesiâ observatum est, ut cum ab aliquo publicè flagitium commissum esset, publica etiam pœnitentia ei indiceretur, ut cæteri timore perterriti deinceps peccata diligentius vitarent, quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora essent, interdùm fieri solitum erat.*

Adversus

Adversus illam constantem virorum eruditorum sententiam, argumentum decantatum, crambis instar recoctæ, ad nauseam usque versat & reversat Francolinus, cui proinde faciendum est satis, ne glorietur argumentum suum, quod Achilleum putat, nullâ posse dilui solutione. Si pœnitentia publica (inquit) occultorum criminum reis imposita fuisset, Confessionis sigillum fuisset reseratum, & ordo fraternæ correctionis, quo statutum est ut frater peccans corripiatur privatim, antequam testes advocentur, subversus fuisset: non ergo occulta peccata publicæ pœnitentiæ subdebantur.

Respondeo: distinguo antecedens: si nedùm pœnitentia publica fuisset, sed etiam delictorum confessio, concedo: si duntaxat pœnitentia publica fuerit, delicti verò admissi confessio, privatim Sacerdoti facta fuerit, nego. Sic ergo res agebatur: peccator occultorum criminum canonicorum reus, ad Sacerdotem privatim accedebat.

debat, ea inter alia humiliter confitebatur : Sacerdos autem pro sui muneris ratione pœnitentiam privatam agendam imponebat pro peccatis occultis, quæ canonica non erant, pro canonicis verò publicam subeundam injungebat, nec tamen peccatum prodebat, nec publicæ illius pœnitentiæ causam manifestabat.

Instat Francolinus : licet peccata occulta clanculùm Sacerdoti declarata à peccatoribus, palam minimè manifestarentur expressâ declaratione, nihilominùs in aliorum notitiam facilè venire poterant; notum enim erat quibus peccatis tot annorum pœnitentia infligenda esset, aut saltem notissimum erat, illam non imponi nisi ob graviora delicta.

Respondeo primò, non ideò tamen manifesta fuisse pœnitentium illorum delicta : quia multi graviorum licet criminum puri, pœnitentiam publicam, pietatis causâ, amplectebantur, ut constat ex facto Vambæ Gothorum Hispanorum Regis, qui pœnitentiam publicam

publicam sibi imponi æger postulavit, eâque, cùm ex morbo convaluisset, perfunctus est, Regno ad Ervigium principem translato. Ita referunt Concilium Toletanum duodecimum, & Lucas Tudensis. Idem patet ex facto Gaudentii Valeriensis Episcopi, qui cùm mortalium criminum purus esset, pœnitentiâ publicâ lubens perfunctus est, ut colligitur ex Concilio Toletano decimotertio, Canone decimo. Hinc videre est, nullam ex publicâ pœnitentiâ pro criminibus canonicis occultis impositâ, creatam fuisse pœnitentibus infamiam; eorumque delicta manifestata non fuisse; quia nesciebatur, an ex lege, an ex pietate, illam suscepissent.

Respondeo secundò, esto ex tempore pœnitentiæ quam peragebant, eorum peccata innotuissent; reseratum propterea non fuisset Confessionis Sacramentalis sigillum: quia non Sacerdotis loquacitate innotuissent, sed ex pœnitentiâ, quam Sacerdotis mandato

mandato liberè obtemperantes, ſponte peragebant. Quod enim conſentiente ac volente peccatore manifeſtatur, abſque ſigilli violatione manifeſtari certum eſt. Sed jam ſatis hac de re.

Diſputatione octavâ hanc Lectoris oculis ſubjicit calumniam amovendam : *Pro quibuslibet peccatis lethalibus publicam pœnitentiam impoſuit vetus Eccleſia.* Fateor perpaucos extitiſſe doctos, qui omnia peccata mortalia publicæ pœnitentiæ olim ſubjecta fuiſſe propugnent : contrà verò eruditi penè omnes conſentiunt, tribus primis Eccleſiæ ſæculis tria duntaxat peccata pœnitentiæ publicæ ſubdita fuiſſe, nempe idololatriam, homicidium, & adulterium : poſterioribus verò hæc eadem, aliaque benè multa : nullibi tamen omnia. Hanc propoſitionem tribus verbis demonſtro. Tertullianus libro de pudicitiâ capite 5. pœnitentiæ publicæ lugubrem apparatum deſcribens ait : *Aſſiſtit idololatra, aſſiſtit homicida, in medio eorum aſſiſtit & mœchus; pariter*

Diſp.8. primæ partis.

de

de pœnitentiæ officio ſedent in ſacco, & cinere inhorreſcunt. Concilium Eliberitanum quarto ſæculo habitum, poſtquam Canone ſecundo publicæ pœnitentiæ idololatras, homicidas, & mœchos addixit, poſterioribus Canonibus, alios peccatores eidem pœnitentiæ ſubjicit, videlicet falſos teſtes Canonibus 73. 74. 75. uſurarios verò qui diu nefario illi commercio dederunt operam Canone 20. Sanctus Baſilius Magnus in tribus Epiſtolis Canonicis ad Amphilochium datis præter idololatras, adulteros, homicidas, quos ætate ſuâ publicæ pœnitentiæ addictos fuiſſe tradit, addit perjuros, ſepulchrorum effoſsores, fures convictos, vates & eos omnes qui ariolos conſulunt. Sanctus Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus agens de peccatis publicæ pœnitentiæ ſubjectis ait: *Requiramus quæ ſint illa peccata, quæ crimina: ne quis exiſtimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis eſt, me omne hominum genus indiſcretâ pœnitendi*

lege

lege constringere. Unde consequens est, non omnia peccata mortalia pœnitentiæ publicæ legibus, subjecta fuisse. An antem quia pauculi aliter opinantur, conflatam adversus veterem Ecclesiam factionem comminisci licet? aut fortè durior illa de Ecclesiâ veteri opinatio fictitiæ Rigoristarum sectæ tribuenda venit, quam à multis data operâ impugnatam legimus, quos invidioso illo nomine traducit Francolinos?

Disp.9. primæ partis. Disputatione nonâ hanc profert Clerici Romani Pædagogus, calumniam impugnandam: *Per viginti & ampliùs annos, variis, magnisque corporis animique laboribus, suos pœnitentes exercere ac probare consuevit vetus Ecclesia.* Certo certius est extare Canones, quibus peccata quædam viginti annorum pœnitentiâ publicâ castigantur. *Qui sua spontè interfecit,* (inquit sanctus Basilius in Epistolâ suâ Canonicâ ad Amphilochium Canone 56.) *& postea pœnitentiâ ductus est, viginti annis Sacramento non com-*

communicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet quatuor annis deflere stans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians: post quatuor autem annos inter audientes recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur: septem autem annis cum iis qui in substratione orant, egredietur. In quatuor annis solùm stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps; iis autem expletis, erit Sacramentorum particeps. Viginti septem annorum intervallo publicam & solemnem in his quatuor stationibus pœnitentiam profiteri voluit homicidam sanctus Gregorius Nyssenus Epistolâ ad Letoium, totosque ex his novem annos, extra fores Ecclesiæ gemere atque lacrymari. Longo etiam temporis spatio Ecclesiæ aditu interdixit impios quosdam fures sanctus Gregorius cognomento Thaumaturgus. Agnitâ lapsorum dispositione, imbecillitate, pietate, contritione intensâ aliquid
de

de Ecclesiasticæ disciplinæ severitate Episcopi, penes quos jus erat relaxandi rigoris pœnitentiæ solemnis, solebant remittere. Hoc unum duntaxat propugnant, Francoline mi, illi quos Doctorum Rigidorum nomine dehonestas. Quicquam ea in doctrina vel falsum, vel durum, vel antiquitati adversum occurrere; demonstrabis nunquam. Propositionem tuam, ut jacet, indefinitam; nullisque vallatam exceptionibus, ac benignis temperamentis pro varia pœnitentium conditione, nemo usquam aggressus est propugnandam: tu solus eam finxisti, quo prætensis Rigoristis, probabilissimi vagi & laxitatum osoribus conflares invidiam: obtinebis nihil, tuæ patent artes omnibus.

Dis. 10. primæ partis. Disputatione decimâ hanc sibi proponit Francolinus calumniam profligandam: *Per vim fuere fideles veteris Ecclesiæ ad publicam & severissimam pœnitentiam compulsi.* Hæc propositione vel somniando quidem, ulli prætenso Rigoristæ excidit. Quis enim nescit

nescit pœnitentiam coactam, ne vel nomen quidem pœnitentiæ mereri? Quis ignorat aurea illa verba Epistolæ Cleri Romani ad sanctum Cyprianum datæ, in qua de lapsis veniam petentibus ita loquitur: *Pulsent fores, sed non utique confringant; adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant; castrorum cælestium excubent portis, sed armati modestiâ, quâ intelligant se desertores fuisse; multùm illis proficiat petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa; mittant legatos pro suis doloribus lacrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudoris.* Monstra fabricatur novus Hercules Francolinus, quò suam venditet fortitudinem: sed bonâ tuâ veniâ dixerim, Francoline mi, ut monstra sunt commentitia, sic vana & inanis est victoria tua.

Disp. 11. primæ partis.

Disputatione undecimâ hanc propositionem ceu calumniam refellere

 tentat

tentat Francolinus : *Pœnitentes solùm post impletam pœnitentiam absolvere consuevit vetus Ecclesia.* Hîc demiratus sum non semel aut Francolini artem, quâ prætensis Rigoristis invidiam conflat propositionibus generalibus, quas nemo propugnavit unquam ; aut ejus in Historiâ Ecclesiasticâ imperitiam, quâ fit ut omnia sus deque misceat, & magnâ doctrinæ farragine plùs Clericum suum Romanum dedoceat, quàm edoceat. Quid hac in re opinentur eruditi omnes, quos libet Francolino Doctorum Rigidorum odiosâ deturpare nomenclaturâ, sequentibus aperiam breviter propositionibus. Itaque prima hæc sit : Canonicorum peccatorum reis absolutio Sacramentalis, post completam pœnitentiam, ordinariâ lege, concedebatur. Colligitur hæc propositio primò ex facto Therapis Episcopi : ille enim Victori cuidam, *antequam pœnitentiam publicam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satis fecisset*, pacem dede-

rat ;

rat: quâ de re cùm Fidus querimonias detulisset ad sanctum Cyprianum, & sexagintasex Episcopos Carthagine in Concilio congregatos, illi Therapii factum vehementer improbarunt, ut constat ex Epistola 59. sancti Cypriani, quam suo & Concilii nomine scripsit ad Fidum. Secundò colligitur ex Innocentio Primo Epistolâ 1. ad Decennium cap. 7. *Sacerdotis est* (inquit) *judicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis, & ad fletus & ad lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* Tertio colligitur ex Concilio Toletano tertio cap. 11. *Expleto satisfactionis tempore,* (inquit) *sicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, pœnitentem communioni restituat.*

Propositio altera: Imminente persecutione, lapsis concedebatur absolutio, ante satisfactionem impletam, ut subeundo Martyrio idonei redderentur. Hanc tradit propositionem sanctus Cyprianus Epist. 54. ad Cor-

nelium datâ: *Placuit nobis* (inquit) *Spiritu sancto suggerente, & Domino per visiones multas & manifestas admonente, quia hostis nobis imminere prænuntiatur & ostenditur, colligere intra castra milites Christi, & examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare, imò pugnaturis arma suggerere.*

Propositio tertia: Cum vigebat mortis periculum, absolutio ante impletam satisfactionem concedebatur; sicut & dum imminebat periculum, ne desperati pœnitentes ad infideles aut hæreticos transfugerent. Prima propositionis pars constat ex Decreto Innocentii Primi Epistolâ primâ capite 7. *Si quis in ægritudinem inciderit,* (inquit) *atque usque ad desperationem pervenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque Communione discedat.* Altera propositionis pars liquet ex sancto Cypriano Epistolâ 52. ubi docet pœnitentiam Libellaticorum non esse respuendam, *ne in hæresim vel schisma à Diabolo invitante rapiantur.*

Pro-

Propositio quarta : Lapsis qui post scelus commissum, arduum aliquid & eximium edebant, aut pro Christi gloriâ patiebantur, concedebatur absolutio ante consummatam satisfactionem. Colligitur hæc propositio ex sancto Cypriano Epistolâ 20. ubi Caldonii Africani Episcopi prudentiam probat, eo quod pacem nonnullis ante consummatam pœnitentiam contulerit, qui bonorum jacturam pro Christo passi fuerant : *Rectè fecisti* (inquit) *circa impertiendam fratribus nostris pacem, quam sibi ipsi verâ pœnitentiâ, & dominicæ Confessionis gloriâ reddiderunt, sermonibus suis justificati, quibus se ante damnaverant. Cum enim abluerint omne delictum, & maculam primam, assistente sibi Domino, posteriori virtute deleverint, jacere ultrà sub Diabolo quasi prostrati non debent, qui extorres facti, & bonis suis omnibus spoliati erexerunt se, & cum Christo stare cœperunt.*

Propositio quinta & ultima : Cum ex reditu lapsorum, ingens aliquod

bonum in Ecclesiam redundabat; absolutio eis concedebatur, remissis luctuosæ pœnitentiæ laboribus. Colligitur hæc propositio ex duobus factis celeberrimis. Primum est Cornelii Romani Pontificis: ille enim (ut videre est in ejus Epistolâ ad sanctum Cyprianum, quæ inter Cyprianicas est 46.) quatuor Confessores, videlicet Maximum, Urbanum, Sidonium, & Macarium, qui ad Novatianos defecerant, recepit cum ingenti populi suffragio, omnia remittens omnipotenti Deo: ideò verò erga eos tantâ lenitate se gessit Cornelius, quia maximum inde bonum emersurum erat: cum enim maximam schismati Novatiani dedissent authoritatem, spes effulgebat non levis, fore ut schisma illud extingueretur ipsorum reditu, multique eorum exemplo revocarentur. Alterum factum est ejusdem Summi Pontificis, qui Trophimum Ecclesiæ desertorem & fidelium corruptorem suscepit, & absolvit, nullâ aliâ ipsi satisfactione

impositâ,

impoſitâ ; Sacerdotii duntaxat eum dignitate dejiciens ; ſolam ſcilicet ei laicam communionem permittens : idque ideò factum eſt , quia multi ejus exemplo ad Eccleſiæ ſinum adducebantur. Factum refertur à ſancto Cypriano Epiſtolâ 51.

Doctrinam Rigoriſtarum , ſi qui ſunt , prædictis quinque propoſitionibus expreſſimus ; in quibus nemo ſanæ mentis Theologus offendet quicquam redolens nimium rigorem ; quin imò ſapiunt omnia juſtam veteris Eccleſiæ ſeveritatem , quæ benignis,ſicubi opus erat, temperamentis leniebatur. De tempore quo Sacramentalis abſolutio primis Eccleſiæ ſæculis concedebatur , jam ſatis ſuperque verba fecimus ; præſtat redire ad Francolinum.

Is diſputatione duodecimâ hanc affert calumniam revincendam : *Confeſſariis fuit olim permiſſum , aut etiam injunctum , ut pœnitentium peccata , ad eos in officio continendos , revelarent.* Hæc profectò putidiſſima calumnia Diſ.12. primæ partis.

eſt, non quidem prætenſorum Rigoriſtarum in Eccleſiam, ſed Francolini in prætenſos Rigoriſtas. Nemo enim Doctor Catholicus in Galliis, Belgio, Italiâ hanc propoſitionem propugnavit unquam: hanc Francolinus finxit, quò bonæ moralis doctrinæ patronis & laxitatum oſoribus maximam crearet invidiam. Certè Illuſtriſſimus Genettus, Gaſpar Jueninus, Morinus, & alii benè multi, quos infami Doctorum Rigidorum nomenclaturâ paſſim ſuo in opere denigrat, in lucubrationibus, quas de pœnitentiâ publici fecerunt juris, toti ſunt, ut oſtendant ſigillum Confeſſionis eſſe jure naturali, divino, eccleſiaſtico imperatum, illudque violare nefas eſſe, quod terrena reſpublica ultimo caſtigat ſupplicio, Eccleſia verò perpetuâ mulctare ſolet pœnitentiâ duriſſimâ in Monaſterio ſtrictiori perſolvendâ. Citat Francolinus illius calumniæ architectos Guillelmum Lindanum, Ruardum Tapperum, Jacobum Pamelium, Ala-
num

num Copum: ſed magnis illis viris inverecundè imponit, utì poſtremâ hujuſce opellæ obſervatione fiet omnibus exploratum; quamquàm & ipſi non noſtræ, ſed ſuperioris ætatis ſcriptores ſunt.

OBSERVATIO VIII.

Duodecim aliæ capitales calumniæ, quibus præſentem Eccleſiam à Rigoriſtis impeti comminiſcitur Francolinus, quaſque alterâ operis parte confutandas ſuſcipit, expenduntur, ac fictitiæ demonſtrantur.

TOmo ſecundo Francolinus præſentis Eccleſiæ benignitatem, in adminiſtrando penitentiæ Sacramento, à rigidiorum quorundam Doctorum (ut ait) calumniis aggreditur vindicare. In hac altera operis ſui parte, quot propoſitiones ſibi refellendas

das assumit, tot penè struit supposititias calumnias, quibus dehonestat bonæ moralis doctrinæ vindices, quos turpi Rigoristarum nomine nunquam non inurit. Id ut omnibus fiat manifestum, cursim ac breviter adducemus duodecim Francolini calumnias, quas labore inani repellit.

*Disp.*1. *secũdæ partis.* Disputatione primâ secundæ partis hanc proponit calumniam retundendam: *Ecclesia præsens, in administrando Sacramento Pœnitentiæ, & vindicandis fidelium culpis, à veteri Ecclesiâ penitus recessit.* Hanc propositionem nec terminis conceptis, nec æquivalentibus propugnavit unquam aliquis Doctor Catholicus quamlibet rigidus: unde mirum non est si calumniæ illius parentem citat neminem Francolinus; quod argumentum est manifestum, hanc calumniam nullibi extare, quàm in ejus cerebro. Si fingere liceat calumnias, & Doctoribus, quos vocant rigidos, asserere, hoc pacto infamabuntur impunè scriptores omnes pii & docti, qui hoc

unum

unum aſſeruerunt, pœnitentiam olim pro eluendis canonicis criminibus, fuiſſe magis luctuoſam, laborioſam, diuturnam, & pudoris plenam.

Objicit Francolinus Tomo ſecundo pag. 6. *Spectabilis nunc etiam eſt, & longè numeroſior ordo pœnitentium, qui ſub arctioribus legibus vel Auguſtini, vel Dominici, vel Franciſci, vel Thereſiæ, vel aliorum ſanctiſſimorum Inſtitutorum, pœnitentium antiquorum aſperitatem, aut exæquant, aut exuperant. Non eſt igitur præſens pœnitentiæ diſciplina veteri prorsùs abſimilis aut contraria.* Lectorem ludificaris, Francoline mi, tuâ illâ comparatione inter veteres pœnitentes hinc, & Regulares inde noſtrorum temporum. Antiqui pœnitentes crimina, quæ mortem merebantur, admiſerant, ex præſcripto Canonum pœnitentialium luctuoſam, laborioſam, longam, verecundiæ plenam pœnitentiam in ſacco ac cinere propalàm ſubire tenebantur, antequam Sacramentalis abſolutionis beneficio, &

com-

communione Ecclesiasticâ donarentur: contrà Monasticorum Institutorum Professores, & nostra & majorum ætate, sunt, ut plurimùm, insontes, criminis puri, integræ vitæ viri, qui teste cœlo semper vixerunt, qui suopte ingenio Christi crucem bajulant, ad id vitæ genus capessendum nullâ Ecclesiasticæ præsentis disciplinæ severitate adacti. Nihil ergo commercii est priscos inter illos pœnitentes, quos disciplinæ rigor ad labores pœnitentiæ adducebat, & novos istos pœnitentes, quos solum imitandi Christi exemplum trahit ad complexandum vitæ institutum obscurum, asperum, laboriosum.

Disp. 2. secũdæ partis. Disputatione secundâ hanc profert Francolinus calumniam refellendam: *Refrigescens fidelium charitas præsentis Ecclesiæ benignitatem invexit.* Sanctissima, utilissima, justissima fuit erga lapsos in gravia crimina canonica veteris Ecclesiæ disciplina laboriosa: ergo si hodierna præsentis Ecclesiæ praxis benignitatem erga lapsos invexit

vexit longè majorem, hæc mutatio profectò contigit ex eo quod Christianorum tepiditas Canonum rigorem ferre non posset: non ergo prudenter satis ac sobriè prædictam virorum Doctorum propositionem calumniæ loco habuit Francolinus; nec dubitamus, quin illam assertionem suo probent calculo quotquot in orbe terrarum extant viri boni & eruditi in Historiâ Ecclesiasticâ versati. Alias mutandæ disciplinæ rationes ex proprio cerebro fabricatur Francolinus, quas hîc refellendas mihi non sumo: quia licet & ipsæ aliquam immutandæ disciplinæ occasionem præbuissent, non inde tamen consequens esset, refrigescentem fidelium charitatem potissimam hujusce mutationis causam non fuisse; multoque minùs consequens inde foret, calumniatorum loco habendos esse ac Rigoristas, qui hanc maximè rationem assignant: cùm nemo aliunde neget, fidelium charitatem postremis temporibus admodum refriguisse.

Dispu-

Disp. 3. *secundæ partis.* Disputationi tertiæ Francolinus hanc præfigit calumniam removendam : *Confessarii, Theologique, quorum causâ rigidioris pœnitentiæ disciplina desiit in Ecclesia, fuere Religiosi, præsertim mendicantes, qui ex instituto suo non sunt audiendis sæcularibus Confessionibus satis idonei.* Hujusce propositionis nullum extat vestigium apud eos qui Francolini sententiâ Rigoristæ Doctores vulgò audiunt : unde ne vel unum quidem Doctorem rigidum illius calumniæ architectum allegat, quod magnum est argumentum hanc à se propositionem fuisse excogitatam, ut permultos Doctores Catholicos in Galliis, in Belgio, in Italia, quos Rigoristas & Jansenistas vocat, dehonestaret. Certè clarissimus vir Gaspar Jueninus ex Doctoribus Rigidis præcipuus, Francolini judicio, ubi ex professo in suo de Sacramentis commentario historico & dogmatico agit de relaxatione pœnitentiæ publicæ, erga lapsos in crimina canonica, ne vel somniando quidem hujusce relaxationis

xationis parentes facit Monachos, vel Regulares mendicantes, qui sæculo decimo tertio militarunt sub vexillis sanctorum Augustini, Dominici, & Francisci. Hac de relaxatione ita sentit vir ille doctissimus: pœnitentiæ publicæ disciplinam sensim concussit ejusdem relaxatio, cujus multiplex species invaluit: huic initium dedit pœnarum canonicarum redemptio, eleemosynis, precibus, flagellis, aut Sacrificio Missæ comparata: incrementum dedere præfatæ relaxationi, concessæ ob Jerosolymitanas expeditiones indulgentiæ: donorum denique temporalium collatio, in Templorum fabricam, imò & in viarum, pontiumque refectionem, absolutissimæ relaxationi occasionem dedit, medio circiter duodecimo sæculo. Quare ridendum se præbet Francolinus, dum totâ fermè illa disputatione tertiâ, interlocutorem suum Doctorem rigidum, in Religiosos Ordines declamantem inducit. Quasi verò declamationes illas ex fictitiorum Rigoris-

goriſtarum libris exſcripſiſſet, aut ad ſuum illud, quod verſat, inſtitutum aliquid facerent.

Diſp.4. ſecudæ partis. Diſputatione quartâ Francolinus hanc adducit calumniam refellendam: *His ultimis temporibus benigniùs fuit, quàm ſæculo decimò tertio, quo benigna hæc praxis invaluit, Sacramentum pœnitentiæ adminiſtratum.* Verberas aerem, Francoline mi, cum adverſarios umbratiles tibi proponis exarmandos, expugnandos, conterendos. Dic mihi, ſodes, quis Rigoriſta hanc invexit propoſitionem? cur neminem ex odioſo tibi prætenſorum Rigoriſtarum grege allegas? an parcis illis? hoc nemini ſanæ mentis perſuadebis. An præ manibus non habes Rigoriſtarum opera, ut explores doctrinam quam poſſis lacerare? hoc etiam nemo credet, nec enim tibi, qui gloriaris perlegiſſe Authores omnes Eccleſiaſticos, Rigoriſtarum libri deſunt, quos non ſemel lectitas, ut eos traducas. In promptu eſt ratio, neminem illius calumniæ ſtructorem

torem affers, quia germanus eſt tuæ mentis fœtus. Cane tibi; miram habes ſolertiam in excogitandis propoſitionibus, quæ ab orbe condito ad noſtram uſque ætatem comparuerant nunquam. O felicem Francolinei ingenii venam!

Diſputationi quintæ hanc attexit calumniam depellendam: *Recentiores Theologi Scholaſtici, moraleſque, dum inutilibus quæſtionibus tempus terunt, & ex genio, ingenioque ſuo magis, quàm ex doctrinâ Patrum reſpondent, ſcribuntque, magnum Theologiæ morali, ac foro pœnitentiæ damnum inferunt, aut facilè inferent.* Nullus Doctor Catholicus, quamlibet rigidus, Francoline mi, recentiores Theologos Scholaſticos, moraleſque in univerſum proſcindit, procaciter laceſſit. Theologiam Scholaſticam & moralem, cum methodo pertractatur convenienti, perutilem Eccleſiæ in unum omnes cenſent Rigoriſtæ Catholici, ſi qui ſunt. Hoc datâ operâ perbellè demonſtrat Gaſpar Jueninus,

Diſp. 5. ſecundæ partis.

judicio tuo, ex Doctoribus rigidis præcipuus, Tomo primo suarum Institutionum Theologicarum: hoc & alii, qui apud te audiunt Rigoristæ, benè multi fœliciter satis præstiterunt, quos mitto libens, ne fiam immensus. Carpunt equidem nonnullos ævi nostri Theologos & Casuistas molles, qui meritò à doctis & piis hominibus exploduntur, exsibilantur: uno verbo Theologiam Scholasticam & moralem secundùm se & absolutè consideratam amant, colunt, venerantur: abusus qui in multorum ætatis nostræ Theologorum & Casuistarum mollium tractationes irrepserunt, falsè illudunt, mordent, execrantur. His Doctoribus, quos soles appellare rigidos, præcinunt Authores omni laude superiores, & qui nunquam Rigorismi notâ inusti sunt. Audi, quæso te, Francoline mi, Melchiorem Canum lib. 8. de locis Theologicis dicentem plures in multorum Theologorum tractationes irrepsisse abusus: *Sunt enim* (inquit) *quidam*

Theologi

Theologi aſcriptitii, qui univerſas quæſtiones frivolis argumentis abſolvunt, & pondus rebus graviſſimis detrahunt. Audi Bartholomæum Medinam quæſtione primâ Introductionis in Tertiam partem; *Exſibilandus eſt Theologiæ Magiſter,* (ait) *qui rigidas & valde implexas quæſtiones agitat, oſtendens quantùm in palæſtra litteraria profecerit; quæ verò ad charitatem & pietatem conducunt, tanquam pervia & expoſita negligens. Si quid explicandum eſt ex Divo Paulo, aut verò ex ſacro eloquio, videtur in alium mundum tranſlatus: ſi de inſtantibus, ſi de hæcceitatibus velis aliquid, plura dabit quàm quæ tribus onerariis navibus vehi poſſint: hi ſunt ſanè de quibus dicit Apoſtolus Paulus, quod languent circa quæſtiones & pugnas verborum, quod converſi ſunt in vaniloquium.* Audi Vincentium Contenſonum, Tomo primo diſſertatione præambulâ cap. 1. ſpeculatione 1. pſeudo-Theologos Scholaſticos & morales noſtrorum temporum vellicantem: *In*

illis (inquit) *Bibliorum testimonia rarissima; Conciliorum mentio nulla: nihil redolet ex antiquis Patribus, nihil ex gravi Philosophia: & tamen, si superis placet, Theologi vocati sunt, cum nihil aliud egerint, quàm sophismatum feces in Scholas inferre: imò fuerunt, & adhuc sunt nonnulli quasi ad discordiam nati, qui tunc optimè disseruiße se putant, cum contra doctiores dixerint; nec tàm verum invenisse velle videntur, quàm concertationibus rixisque totas chartas implere.* Quibus hæc conveniant epitheta, num Doctoribus, qui vulgò audiunt rigidi, an mollibus Casuistis, esto judicium penes Lectorem omnis præjudicii vacuum.

Disp.6. secũdæ partis. Francolinus disputatione sextâ hanc subjicit calumniam dimovendam: *Præsens benignitas in administrando hoc Sacramento non est consentanea Scripturis, & ejusdem Sacramenti institutioni.* Si præsentis benignitatis nomine intelligitur praxis, quâ Ecclesia temperat rigorem priscorum Ca-

nonum

nonum erga lapſos; hanc Catholicus nemo doctus, quamlibet Rigoriſta audiat, inſimulavit unquam ceu Scripturis, ceu inſtitutioni Sacramenti contrariam. Hoc Rigoriſtis, ſi qui ſunt, in Belgio, in Galliis, in Italiâ affingere, ut tu facis, Francoline mi, nihil eſt aliud quàm teterrimam proferre calumniam: unde ne vel unum quidem ex prætenſis Doctoribus rigidis allegare potuiſti, qui hanc propugnet blaſphemiam. Si nomine præſentis benignitatis intelligatur abuſus ſerpens quorumdam mollium Confeſſariorum ſtatim abſolventium quoſcunque aſſerentes ſe pœnitere, tametſi frequenter in eadem peccata mortalia relabantur, atque criminoſæ vitæ ſeriem poſt iteratas Confeſſiones minimè emendent; contendunt plane multiſque momentis evincunt pii ac docti omnes, uſum illum ſeu potiùs abuſum ſcripturis, Traditioni, atque Sacramenti inſtitutioni planè adverſari. Hoc tu ultimo ſenſu præſentem benignitatem nunquam non

 uſurpas,

usurpas, Francoline mi, quò incautum Lectorem capias. Non ità doctis viris illuditur; oculos habent, acre judicium, quo tuas deprehendant subdolas artes. A lacrymis vix tempero cum video Religiosum, Sacerdotem, Theologiæ professorem ità se gerentem.

Disp.7. secũdæ partis. Disputatione septimâ Francolinus hanc proponit calumniam removendam; *Præsens benignitas, quâ Sacramentum Pœnitentiæ administratur, Patrum regulis ac sententiis adversatur.* *Disp.8. secũdæ partis.* Disputatione octavâ hanc profert calumniam ablegandam: *Rejecta à sanctis viris, & præsertim à Divo Carolo, præsens benignitas fuit.* *Disp.9. secũdæ partis.* Disputatione nonâ hanc subjicit calumniam propulsandam: *Etiàm nunc eadem benignitas à melioris notæ Theologis, ac Sacerdotibus, ac proinde à meliori Ecclesiæ parte reprobatur.* *Dis.10 secũdæ partis.* Disputatione decimâ hanc affert calumniam depellendam: *Præsens benignitas in administrando Sacramento Pœnitentiæ non est satis tuta, adeoque Sacramenco injuriosa.*

riosa. Disputatione undecimâ secundæ partis hanc tradit calumniam revincendam : *Præsens Ecclesiæ benignitas in Sacramento Pœnitentiæ perniciosa fidelibus est.* Tandem disputatione duodecimâ hanc scribit calumniam retundedam : *Temperanda saltem est aliquo majori rigore præsens Ecclesiæ benignitas.* Uno verbo hisce omnibus disputationibus tuis , mi Francoline , respondeo. Si nomine præsentis benignitatis Ecclesiæ intelligatur justum & congruum temperamentum pristini rigoris Canonum circa lapsos in crimina canonica , probatur ab omnibus quamlibet Rigoristis temperamentum illud prudens ac salutare veteris disciplinæ Ecclesiasticæ : illud admittunt omnes Theologi , præscribit illud sanctus Carolus Borromæus , Ecclesia illud suo comprobat suffragio. Si autem (ut tu intelligis , Ftancoline mi) vocabulo præsentis benignitatis significetur usus sive potiùs abusus quorundam imperitorum Sacerdotum nunquam procrastinantium

Dis.11. secũdæ partis.

Dis.12. secũdæ partis.

tium abſolutionem erga lapſos plurièſ in eadem peccata gravia, erga peccatores longo peccandi mortaliter habitu ſordidatos, erga eos qui poſt iteratas Confeſſiones vitam minimè emendant ſuam; intrepidè dico, illum uſum, ſive potiùs abuſum Patrum regulis & ſententiis adverſari, à ſanctis viris, præſertim ſancto Carolo Borromæo improbari, à melioris notæ Theologis, Sacerdotibuſque ablegari; periculi eſſe plenum, pœnitentiæ Sacramento injurioſum, ſaluti fidelium exitialem. Non reformido hac in controverſiâ quodcunque Eccleſiæ Romanæ tribunal; ad illud provoco, & contrariam hac in parte Francolini ſententiam deſero proſcribendam & inurendam.

Ut autem diſtinctè noverit Clerici Romani Pædagogus, quænam re ipsâ ſit exorbitans illa, in adminiſtrando pœnitentiæ Sacramento, benignitas, laxitas, corruptela, quam verè & ex animo damnent hodierni, quos calumnioſe traducit, Theologi falſi no-

nominis Rigoristæ; nevè Lectorem imprudentem, peregrina viris eruditis ac piis dogmata affingendo, malignè decipiat; brevem portentosarum laxitatum elenchum subjiciam, à modernis laxonibus inductarum, quas à Pœnitentiæ Sacramento eliminandas ac penitùs proscribendas existimant commentitii Rigoristæ. Certè si quod animo gerit, verbo promere velit Francolinus; & Rigorismum in earum corruptelarum confutatione, ut videtur innuere, apertè ac sepositis ambagibus positum dicat; honori & gloriæ ducunt boni omnes, Rigoristarum nomine appellari.

****
***
**

OBSERVATIO NONA

Seu elenchus laxitatum & corruptelarum, ad Pœnitentiæ Sacramenti administrationem attinentium, in quarum confutatione, si verum dicere velit Francolinus, hodiernus, quem traducere tentat, Rigorismus situs est.

HAnc spartam ante me adornarunt viri permulti eruditi, qui recentium Casuistarum laxitates ex variis eorundem Libris collegerunt. Hos inter cumulatiorem Indiculum confecit novissimus Scriptor, qui cum sexcentas, ac sexaginta pravi ac corrupti dogmatis assertiones, ad varia Moralis Theologiæ capita spectantes, ex recentium laxonum Libris excerpserit, has ad Sacramenti Pœnitentiæ Sacramentum attinentes peculiari paragrapho complexus est; in quarum confutatione positus est falsi nominis Rigo-

Rigorismus, quem alienis plane & ementitis coloribus adumbrat Clerici Romani Pædagogus. Has ego Lectorum oculis exhibebo, ne se Francolini artibus deludi patiantur: utque distinctè noverint, quasnam ab hujusce Sacramenti administratione corruptelas & laxitates eliminare revera studeant Theologi illi, quos tam fœdè tam turpitèr ludit mordacissimus osor; quæque opinionum portenta pepererint sui illi, quos in cœlum evehit, benignitatis Magistri.

Probabile est, dolorem necessarium ad obtinendam peccatorum veniam in Sacramento pœnitentiæ, non debere esse verum & realem, sed existimatum sufficere. Filiutius tr. 7. de Confess. c. 6. n. 150.

Saltem probabile est, ad valorem Sacramenti sufficere dolorem naturalem, modò accedens ad Sacramentum bonâ fide putet se sufficienter dispositum. Paulus Rosmer è Societ. Doctor Græcensis in Conclus. Theol. de act. hum. pag. 329.

Si quis doleat de peccato, propterea quòd Deus in pœnam illius temporale malum immiſit, ſufficit. Eſcobar tr. 7. exam. 4. n. 91.

Sufficit attritio naturalis, modò honeſta. Theſes in Collegio Claramontano anno 1643. & 1644. Pariſiis defenſæ.

Attritio ex ſolo timore gehennæ, ſine Dei propter ſe dilectione, certò ſufficit ad valorem & effectum Sacramenti pœnitentiæ. Pinterellus in lib. de ſuffic. attrit. aiens vix ullam doctrinam clariùs eſſe in Tridentino expreſſam. Jeſuitæ quoque Lovanienſes in Theſibus anni 1663. Anglo-Leodienſes in Theſi anni 1699. Lugdunenſes in Theſi anni 1697. &c. contendunt eam ex Tridentino certò conſtare. Arſdekinus damnatæ Theol. tripart. p. 2. c. 3. quæſt. 21. §. 3. eam adeò ſecuram aſſerit, *ut ampliùs de eâ prudenter dubitari non poſſit.*

Qui in ſervitio peſtiferorum ex humanâ fragilitate lapſus in mortale peccatum, cum ſola attritione ex timore gehennæ

gehennæ moreretur vi morbi ex illo ſervitio contracti, mors illa ipſum faceret de attrito contritum, ſicut faceret ſacerdotalis abſolutio. In eam opinionem Gobat inclinat tr. 6. n. 117. aiens non deeſſe viros doctos (haud dubiè è Societate) qui cenſeant Theophilum Raynaudum implicitè eſſe iſtius opinionis, licet eam Gobat ipſe primus aſſertivè tradere non audeat.

Probabile eſt, nullum extare præceptum de contritione ſeu pœnitentiâ per ſe loquendo eliciendâ ante articulum mortis. Gobat n. 139. referens Suarez & Dicaſtillum, qui opinionem illam mordicus defendit diſp. 3. dub. 1. & ult.

Præceptum naturale pœnitendi non obligat ſtatim poſt peccatum commiſſum: obligat per ſe in articulo mortis, & ſingulis ſaltem quinquenniis. Blondellus in Theſi Anglo-Leodienſi anni 1689. concluſ. 43.

Divinum præceptum pœnitentiæ, ſecluſo periculo mortis, vel lapsûs in aliud peccatum, practicè non obligat

ſub

ſub gravi, ad pœnitendum citiùs, quàm obliget præceptum Eccleſiaſticum. Slaughter in dictatis Anglo-Leodienſibus de pœnit. p. 1. diſput. 2. ſect. 3. concl. 4. Præceptum verò Eccleſiaſticum pœnitentiæ, concl. 3. dicit non obligare, dum confeſſio annua fieri non poteſt.

Nulla eſt, vi præcepti divini, per ſe loquendo, obligatio confeſſionis, niſi quando inſtat periculum mortis, vel non habendi poſtea per totam vitam copiam Confeſſarii. Idem ibidem p. 2. diſp. 5. ſect. 1.

Tametſi confeſſionem differendo uſque ad articulum mortis, vel Paſcha, certus ſis te, ob hanc dilationem, eſse obliturum multa crimina lethalia, haud tamen inde oritur tibi obligatio confitendi citiùs. Gobat n. 261. cum Henriquez & Lugone.

Si confeſſus fueris 1. Januarii 1701. licitè differs confeſſionem uſque ad ultimam Decembris 1702. ita ut duo anni integri unâ die exceptâ, licitè tranſeant ſine confeſſione, niſi aliundè

occurrat

occurrat neceſſitas, v. g. ratione communionis vel articuli mortis. Card. de Lugo diſp. 15. n. 117.

Practicè probabile eſt, reum peccati mortalis, qui prævidet ſe toto ſequenti anno cariturum copiâ Confeſsarii, non teneri anticipatò peragere confeſſionem. Gobat n. 278.

Si cui præbuiſti venenum, ex quo ipſe extinctus eſt, ſatisfacis, per ſe loquendo, præcepto Chriſti de confeſſione, dicendo præcisè, *præbui voluntariè ſeu ſtudio alicui venenum, animo illum necandi*, nihil addendo de ſecuto effectu. Et dum te vino planè inebriaſti, ſufficienter confiteberis, dicendo, bibi ex voluptate vinum, prævifo ebrietatis periculo: dumque per diurnas turpes actiones dediſti cauſam pollutionis ſecutæ in ſomno, non te damnabo, etſi præcisè dicas, te has vel illas cauſas dediſſe, prævidentem id periculum. Gobat n. 352. referens Lugonem & Theophylum Raynaudum.

Per damnationem iſtius propoſitionis,

nis, *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, non est reddita improbabilis opinio dicentium confessionem invalidam & sacrilegam, quâ quis non est confessus integrè, ex negligentiâ mortaliter culpabili, sufficere ad satisfaciendum præcepto. Gobat n. 280.

Potest pœnitens, præcisè ratione infamiæ, quam apud Confessarium incurret complex, ex revelatione peccati talis speciei, excusari à confessione materialiter integrâ. Sanderus in Thesi Anglo-Leod. anni 1688. Et Valentia apud Dianam pag. 1. tr. 7. resol. 49.

Integrè confitetur qui reticet peccatum aliquod, ne cogatur aperire crimen complicis. Mansfeldius in Thesi 1689.

Furatus mille aureos sufficienter confitetur dicens, *commisi furtum mortale*; sicut & qui proposuit peccare cum decem mulieribus solutis, præcisè dicendo, *habui voluntatem fornicandi*; & qui commisit incestum cum

cum matre, vel filiâ, præcisè dicendo, *commisit incestum.* Satis probabile putat Gobat n. 378. 385. 387.

Qui ligatus voto castitatis alios non ligatos induxit ad peccandum contra castitatem, probabiliter non tenetur explicare circunstantiam sui voti. Sanchez & Tamburinus apud Stephanum à S. Paulo tr. 1. disp. 5. n. 58.

Qui peccavit, aliàs non peccaturus, ex confidentiâ obtinendi Jubilæum, non tenetur hanc circunstantiam aperire. Fagundez præcept. 2. l. 4. c. 5. n. 8.

Tactus turpes & impudici in Ecclesiâ, secluso periculo pollutionis, non habent malitiam sacrilegii mortalis in confessione explicandam. Sanchez, Coninck, Fagundez, Vasquez, Valentia, Henriquez apud Dianam p. 1. tr. 7. resol. 26. & p. 2. tr. 3. miscel. resol. 23.

Neque sacrilegium in confessione exprimendum committitur per pollutionem & fornicationem occultam in Ecclesiâ. Vasquez apud eundem p. 1.

 tr. 7.

tr. 7. resol. 26. Tamburinus & Burghaber apud Stephanum à sancto Paulo n. 58. Et satis probabile censet Gobat n. 386. juncto n. 382.

Etiamsi Confessarius interroget ad quantam quantitatem pervenerit furtum grave, quod confitetur, non tenetur confitens id aperire. Dicastillo disp. 9. dub. 3. n. 194.

Nec tenetur pœnitens confiteri consuetudinem peccandi, de eâ à Confessario interrogatus. Vasquez, Henriquez, Reginaldus apud Dianam tr. 7. cit. resol. 55.

Confessarius qui carnaliter peccavit cum filiâ suâ confessionis, non tenetur circunstantiam istam aperire. Vasquez & Azorius apud eundem ibidem resol. 2.

Qui confessus est se vicies *circiter* pejerasse, si postea liquidò deprehendat id à se factum tricies, non tenetur quidquam dicere de illis decem perjuriis supra viginti. Tannerus q. 7. dub. 3. n. 45.

Confessus mortale ut dubium, licet postea

postea cognoscat à se esse certò patratum, non debet illud ut certum confiteri. Tamburinus exped. Confess. c. 1. §. 4. Pellizarius Man. Regular. tr. 5. c. 3. n. 56.

Non est obligatio confitendi mortalia dubia, sive dubium positivum sit, sive negativum, sive dubium de illo commisso, sive de illo cum plenâ advertentiâ vel deliberatione commisso. Henriquez, Præpositus, Conink apud Gobat tr. 7. n. 214. id verè probabile censentem cum Lessio in auctuario. V. *confessio* casu 7. num. 10.

Qui uno actu voluntatis statuit non jejunare totâ quadragesimâ, nunquam, toto anno; recitare Breviarium, vel audire sacrum, satisfacit integritati confessionis, dicendo: *Habui propositum non jejunandi, non recitandi Breviarium, non audiendi sacrum.* Filiutius tr. 27. n. 87. & tr. 31. n. 302.

Quando tuus ordinarius pœnitens omisit sacrilegè per tres, quatuor, aut plures annos aliquod peccatum mortale, nequaquam opus est ut repetat

omnes confeſſiones peractas toto illo quadriennio, omnes utique peccatorum ſpecies & numeros, ſed illorum duntaxat, quæ alteri fortè Confeſſario interea aperuit, deinde eorum quæ aperuit cum formali ſacrilegio, id eſt advertendo à ſe omitti non omittenda; ſecùs eorum quæ intereà omiſit immemor præteriti ſacrilegii, explicando tamen numerum confeſſionum communionumque ſacrilegarum. Gobat tr. 6. n. 571.

Qui fecit votum, v. g. non fornicandi, poteſt ſeparatim in eadem confeſſione dicere, ſe fornicatum eſſe, & ſubinde in decurſu, ſe fregiſſe votum in re gravi. Dicaſtillo diſp. 9. dub. 9. n. 171. Eſcobar Th. Mor. l. 4. ſect. 2. probl. 1.

Qui generaliter confitetur, poteſt, ſine aliâ explicatione, admiſcere ab ultimâ confeſſione nova commiſſa cum antiquis, etiamſi id de rubore vel de induſtriâ faciat, ad tegendum tempus quo peccatum commiſit, ne Confeſſario innoteſcat. Tamburinus ubi ſuprà

l. 2.

l. 2. c. 1. §. 1. n. 2. Eſcobar tr. . . . . in proem. exam. 2. n. 75.

Commiſit quis peccatum non longè à confeſſionis hodiernæ tempore, à quo abſolutus non eſt, dum confitetur, ut minuat pudoris inſtantiam, dicit, peccatum iſtud quondam fuiſſe à ſe commiſſum, & non confeſſum: hæc ſimulatio confeſſionis integritati obeſt & non obeſt. Non obeſſe ſine ſcrupulo admitterem, ſi pœnitens ſolùm temporis ſimulationem gereret, fatus, multis ab hinc annis hæc aut illa peccata commiſi, quæ quidem ex oblivione inculpabili faſſus non ſum. Eſcobar ibidem problem.

Qui confitetur deſideria, cogitationes & affectiones turpes, certo ſpatio, v. g. per menſem habitas, non tenetur numerum explicare; ſed ſufficit dicere, toto menſe amavi Bertam v. g. etiamſi poſſit numerus exprimi. Baunius in ſum. c. 40. n. *667*.

Qui delectatus eſt de peccatis præteritis, aliàs confeſſis, id ſolùm oportet confiteatur, non autem exprimere,

 quæ

quæ fuerint peccata, de quibus eſt delectatus. Sà correctus à Magiſtro ſacri Palatii V. *Confeſſio.* n. 16.

Si Sacerdos portans ſacram Euchariſtiam furaretur, non teneretur hanc circunſtantiam declarare: quia in ea tam gravem irreverentiam non video. Tamburinus ſuprà c. 7. §. 5. n. 42.

Qui læſit alterum in fama graviter injuſtè, dicendo ſcienter falſam infamationem, videri poteſt non teneri circunſtantiam mendacii explicare, ſed ſufficere ſi dicat ſe graviter injuſtè diffamaſſe alterum. Dicaſtillo tr. 8. de pœnit. diſp. 9. dub. 3. n. 172.

Si quis bonâ fide ex ignorantiâ ſolùm confeſſus fuerit peccata ſua in generali, nullo determinato in particulari, non eſt obligandus ad eorum repetitionem, ſi commodè fieri nequeat ob multitudinem pœnitentium audiendorum. Baunius loco cit. n. 650.

Licitum eſt ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium; qualis

qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ feſtivitatis aut indulgentiæ. Sic à pluribus Religioſis Societatis in examine ad confeſſiones anno 1652. fuiſſe reſponſum,& à pluribus ejuſdem Societatis practicatum teſtatur Illuſtriſſimus D. Jacobus Boonen Archiepiſcopus Mechlinienſis in Epiſt. ad ſacram Congregationem Cardinalium de die 17. Julii 1654.

Qui lubricam habet memoriam,non tenetur peccata ſcribere ; etiamſi morale ſit periculum oblivionis. Dicaſtillo loco cit. dub. 14. n. 244.

Magiſtratus vel quicumque ex officio conſtitutus ad procurandam conſervandamque ſecuritatem publicam, tenetur ex officio impedire mala aliorum contra illam ſecuritatem, v. g. furta ; non verò ſua : nec proindè confiteri tenetur circunſtantiam officii ſui ; ſi ipſemet furatus fuerit. Idem dub. 6. n. 381.

Ut Confeſſarius Regularis ſæcularium confeſſiones excipere queat, ſufficit ipſi approbatio legitimè data à

quocunque Episcopo; quæ si ab uno solo data fuerit absque limitatione loci & personarum, sufficit ad excipiendas validè confessiones in toto mundo, quandiu expresse non repugnant Ordinarii locorum. Henriquez l. 6. c. 6. & l. 7. c. 12. n. 4. Baunius & Dicastillus apud Gobat tr. 7. n. 58.

Per Decretum Alexandri VII. non videtur improbatus usus, variis in Diœcesibus receptus & permanens, ut nimirum Religiosi Mendicantes, approbati ab uno Episcopo, censeantur tacitè approbati ab aliis, ad quorum Diœceses mittuntur, quandiu hi non repugnant. Gobat ibidem.

Regulares possunt & non possunt in foro conscientiæ, uti suis privilegiis, quæ sunt expresse per Tridentinum revocata. Escobar Th. Moral. l. 6. probl. 16. pag. 197.

Sufficit & non sufficit petere approbationem, ut Regularis, si injustè ei denegetur, censeatur jure approbatus. Idem l. 7. probl. 30. pag. 269.

Quandiu Episcopus non prohibet suis

ſuis Parochis aut Superioribus Religioſorum, ne Sacerdotes alibi approbatos, ad audiendas in ſua Diœceſi confeſſiones exponant, hi validè ad id aſſumuntur: eò quòd habeant omnes conditiones à Tridentino requiſitas. Gobat n. 59. referens Coninck, à nemine,(inquit,) quantùm memini improbatum.

Confeſſarius approbatus ab Epiſcopo Atrebatenſi, poteſt in alia Diœceſi, v. g. Mechlinienſi, Atrebatenſes audire, abſque approbatione Epiſcopi loci ubi confeſſiones audit. Sanchez & Henriquez apud Dianam p. 2. tr. 4. reſol. 144. Suarez diſp. 28. ſect. 7. n. 7. Dicaſtillus diſp. 10. Sanderus Anglo-Leodienſis in Theſi anni 1688 concl. 49. in quâ ſic habet: *Approbatio debet neceſſariò eſſe ab Epiſcopo Confeſſarii, non autem ab Epiſcopo ipſius Diœceſis, in quâ ſit confeſſio.*

Sacerdos ad abſolvendum utens juriſdictione minùs probabili, non peccat. Sanchez l. 1. in Decal. c. 9.

Mendicantes petitâ & non obtentâ licen-

licentiâ, sunt idonei ministri Sacramenti pœnitentiæ. Pater Poignant disp. 4. de Sacram. pœnit. art. . . . . . de ejus ministro.

Raró iis qui integrè confitentur differenda est absolutio. Sanderus in Thesi Anglo-Leodiensi anni 1687. concl. 51.

Durior illa quorundam praxis, quâ sæpè nimis pœnitentibus negatur absolutio, donec peccandi consuetudinem exuerint, facit magis ad exasperanda quàm sananda vulnera animarum. Slaughterus in Thesi Anglo-Leodiensi anni 1699. concl. 51.

Peccandi occasionibus, pravisque habitibus irretiti, atque exindè in eadem sæpè flagitia labentes & relabentes, si non obstantibus omnibus quæ Confessario dixerunt & promiserunt, in eadem sese delicta licentiosiùs & flagitiosiùs projecerint, admittendi-ne sunt ad Sacramentum, & an possint absolvi? Sunt qui tenent absolutionem ipsis ad tempus differendam. At non ea est opinio mea. Baunius in summ.

summ. c. 46. pag. 717. & 718.

Iisdem consuetudinariis, se de præteritis dolere, & abstinendi in posterùm sibi propositum inesse affirmantibus, credere debet Sacerdos, dignosque proindè esse absolutione toties quoties, quantumcunque nulla notetur emendatio, quamvis etiam conjicere seu supponere liceat, ejusmodi dicta & promissa labiorum potiùs esse quàm cordis. Baunius ibidem.

Adolescenti, qui gravia ad confessionem peccata affert, maximè verò pollutiones crebras, tactus &c. impartienda est absolutio toties quoties, si eum sincerè præteritæ vitæ pœnitet, statuitque libidini frænos injicere, ac amodò non peccare, id est, si hoc ad Confessarii pedes affirmet, uti apparebit ex propositione sequenti. Baunius Th. Mor. p. 1. tr. de pœnit. q. 15. p. 96.

Et quidem si aliquid operæ studiique ad correctionem præteritæ vitæ attulit, absolvendum illicò, nec re-

remittendum ad tempus futurum puto. Quid si sæpè admonitus, nihilominùs non sapit? Quid si de emendandâ vitâ promissa non fecit? Quid si in expurgando animo, tollendaque peccandi consuetudine non laboravit? Indignum eum esse cui ad gratiam aditus per absolutionem pateat, dixere Ledesma & Lopez. Vera sententia, eaque tenenda habet, ne tunc quidem absolutionem ei negandam, dummodò dolore necessario sit instructus, & ad confessionem vitæ melioris consilium adferat, de quo Sacerdoti, quantum fas est homini, ex signis, aut ejus ore voceque constet. Baunius ibidem cum Sanchez tom. 1. Moral. l.2. c.32. n. 45. debet enim (inquit) pœnitentibus id de se affirmantibus credere. In summ. c. 40. p. 717.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis futuræ spes nulla appareat, nec neganda, nec differenda est absolutio, si verè eum admissorum pœnitet, & emendandi

sese

ſeſe propoſitum habeat. Baunius ibidem tr. 1. q. 22. p. 100.

Adhuc poſt nullius emendationis experimentum..... abſque voluntate tollendi occaſionem..... poteſt quis abſolvi. Dicaſtillo tr. 8. de pœnit. diſp. 6. dub. 19. n. 354.

Non eſt neceſſe quòd Confeſſarius probabiliter judicet futurum, ut pœnitens ſe à peccatis abſtineat. Filiutius tom. 1. tr. 7. c. 12.

Imò debet ipſum abſolvere non obſtante peccandi conſuetudine, tametſi certò ſciret ipſum relapſurum. Dicaſtillo diſp. 21. n. 362.

Quando juſtæ & rationabiles cauſæ ſubſiſtunt non tollendi occaſionem peccandi, etiamſi ſæpiùs reincidat pœnitens, non cogendus eſt illam tollere occaſionem, nec privandus abſolutione, etiamſi ſæpè recidivus; quin potiùs hortandus ut ſæpè veniat ad confeſſionem. Idem diſp. 10. dub. 29. n. 579.

Si concubinarius, ter aut quater confeſſus, in promiſſione ejiciendæ concubinæ defeciſſet, & aliqua licet mo-

modica emendatio esset inchoata, ut si antea qualibet nocte eundem lectum occuparent, post confessionem verò tertiâ tantùm nocte, posset absolvi necdum ejectâ concubinâ. Paulus Rosmer tr. de Sacr. pœnit. disp. 3. ar. 18. referens Layman.

Docent Theologi non esse necessariò dimittendam professionem in qua periculum est Deum sæpiùs offendendi, animamque suam perdendi, si professio illa facilè dimitti non possit. Apologiâ Casuistarum pag. 49.

Etiamsi peccandi occasio sit quasi certa, non est necessariò deserenda, ad recipiendam gratiam Sacramenti, si pœnitens eam deserere non possit, quin sermonem populo det, & incommodi aliquid accipiat: quia præceptum deserendi non obligat in casu talis necessitatis. Baunius in summ. pag. 1083. 1084.

Theologorum doctrina, de absolutione non denegandâ, magis etiam locum habet in iis, qui repetitis sæpè juramentis, ebrietate, spurcitiâ, validum

dum horum vitiorum habitum & consuetudinem contraxerunt. Quamvis enim illa consuetudo voluntate contracta, proximæ habeat occasionis locum, quâ ad supradicta peccata propelluntur, sæpè tamen hæc consuetudo voluntaria dici non potest; cùm eam oderint ac deponere optent. Apologiâ Casuist. pag. 49.

Jansenistarum sententia, negans absolvendum pœnitentem, quem non credit nec probabiliter judicat executurum mutandæ in melius vitæ propositum, certa est ad desperandum via. Debet ergo pœnitentem Sacerdos absolvere, etiamsi illum in crimina relapsurum sentiat, imò etiamsi de se pœnitens judicet fore, ut in eadem peccata recidat in posterum. Ibidem pag. 162.

A Sacramento pœnitentiæ fideles arcere conatur, qui docet consuetudinarium non absolvendum, quandiu verisimile est ad eadem peccata rediturum. Sabranus l. cui titulus *Artes Baianæ*. pag. 6.

Idem

Idem de eo dicendum, qui negat ipſum abſolvendum, quandiu retinet affectum habitualem ad peccatum ſecundùm ſe conſideratum. Idem ibid.

Fas eſt, per ſe loquendo, committere ſe probabili periculo peccandi mortaliter, etiam ſine causâ urgenti. Unde Confeſſarius negare non debet abſolutionem nolenti deſerere occaſionem, in quâ probabile eſt ipſum peccaturum, probabile etiam non peccaturum, v. g. nolenti deſerere frequentationem domus, in quâ tentatus aliquoties victus fuit, aliquoties etiam & ſæpiùs victor extitit. Gobat tr. 7. n. 526.

In praxi exiſtimo nunquam aut rariſſimè denegandam abſolutionem, ob doctrinæ chriſtianæ ignorantiam. Sanchez l. 2. in Decal. c. 3. n. 21.

Abſolutionis capax eſt, qui per negligentiam, etiam culpabilem, neſcit myſteria fidei, nequidem ſanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis, dummodò præteritæ negligentiæ eum pœniteat firmiterque proponat fore ut diſcat.

Nec

Nec ipſi deneganda adhuc abſolutio, quamvis ſemel & iterum admonitus, diſcere potuerit & neglexerit. Sanchez ibidem, & (apud ipſum) Azorius, abſque exceptione ullius myſterii.

Si pœnitens in praxi bonâ fide ſequatur ſententiam, quæ à quibuſdam Doctoribus tanquam probabilis & tuta defenditur; Confeſſarius verò, multo adhibito ſtudio, eandem improbabilem cenſeat; non obſtante ſuâ perſuaſione tenetur abſolutionem conferre. De Lugo diſp. 22. de pœnitent. ſect. 2. Layman tr. 1. de conſc. c. 5. §. 2.

Si quis probabiliter credat, ſe jam confeſſum de illo mortali vel ſe commiſiſſe tale peccatum.... non tenetur ad confeſſionem illius, etiamſi fortè probabilius ſit conſenſiſſe vel peccaſſe mortaliter, vel confeſsum non eſse. Dicaſtillo de Confeſs. tr. 4. diſp. 9. dub. 8. n. 134. referens Suarez diſp. 22. de pœn. ſect. 9. Sanchez, Filiutium, Baunium, & Joannem de Lugo.

Confeſsarius abſolutionem à peccatis diviti non facilè negare debet, quòd communes hominum miſerias per eleemoſynam ſublevare monitus recuſet: tum quia de obligatione hac, quæ & qualis ſit, Doctores non conveniunt; tum quia ſemper dives aliquam cauſam in ſpecie præfert, cur recuſet. Layman l. 2. tr. 3. c. 6. n. 1.

Peccata in confeſſione inculpabiliter oblita, vel ob juſtum vitæ periculum omiſſa, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere. Ita à ſuo in Theologia magiſtro edoctum ſe fuiſſe fatetur Paulus Roſmer Jeſuita, doctor Græcenſis tr. de Sacr. pœn. diſp. 3. n. 10.

Actus ſatisfactionis ſacramentalis, ex fine mortaliter pravo elicitus, valet ad implendum Confeſſarii præceptum de ſatisfactione, dummodò ponatur ſubſtantia actus præcepti. Amicus tom. 8. diſp. 16. dub. 14. n. 37.

Pœnitentia ſacramentalis, ſi levis ſit, licet pro peccatis gravibus, non obli-

obligat ex probabili opinione. Tamb. l.3. in Decal. c. 7. §. 5. n. 1.

Si pœnitens nollet acceptare pœnitentiam, paratus in Purgatorio satisfacere, non ex hoc præcisè censendus esset indispositus, nec sine absolutione dimittendus: quia opinio quæ docet pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam, etiam post Tridentinum, videtur probabilis: quia non videtur Tridentinum damnare voluisse opinionem, quam doctissimi viri sequebantur, citati à P. Sanctarel. Tamburinus exped. confess. l. 4. c. 2. §. 1. n. 7.

An possit per alium impleri pœnitentia? Posse asserit Suarius, modò adsit justa causa. Escobar tr. 7. ex. 4. n. 182.

Peccator potest, sine violatione justitiæ, imò & sine violatione charitatis, satisfactionem differre in alteram vitam. Filiutius tom. 1. tr. 6. c. 9.

Non peccat Confessarius, nullam imponendo pœnitentiam, dum pœnitens mox lucraturus est indulgen-

tiam plenariam. Gobat tr. 7. n.744.

Quanta pœnitentia videtur proportionata pro uno mortali ordinario? Reſpondeo juſtam ſatis pœnitentiam eſse v. g. coronam quinque Decadum. Arſdekin Th. trip. p. 2. tr.3. c.8.

Alacriùs nunc purgantur peccata, quàm committuntur, plurimique vix citiùs maculas contrahunt, quàm eluunt. Imago primi ſæculi Soc. l.3.c8.

Confeſsarius ex ſola confeſſione ſacramentali ſubditi peccata cognoſcens, poteſt ex vi iſtius cognitionis amovere ipſum ab officio ad nutum amovibili. Vaſquez in 3.p.q.93.ar.4. d.8. n.5.

Si pœnitens abſque neceſſitate manifeſtavit complicem in confeſſione, non tenetur Confeſsor ſub ſigillo confeſſionis peccatum complicis occultare, & ſic pro bono communi eſt manifeſtandum. Idem pag. 212.

OBSERVATIO DECIMA & ULTIMA.

Francolinus aliquot falsationum convictus.

UNo calami tractu, insignes quatuor Authores, scriptis adversùs heterodoxos editis de Ecclesiâ quàm benè meritos, verbis contumeliosis & calumniæ plenis appetit Francolinus, Tomo primo, disputatione duodecimâ, in quâ proponit hanc revincendam assertionem: *Confeßariis fuit olim permißum, aut etiam injunctum, ut pœnitentium peccata, ad eos in officio continendos, revelarent.* Hujus nefariæ propositionis patronos facit Ruardum Tapperum articulo quinto, ubi de facto Nectarii disserit, Lindanum Panopliæ libro quarto cap. *69.* & Pamelium in adnotationibus ad tractatum sancti Cypriani de lapsis, & præsertim initio adnotationum ad librum Tertulliani de pœnitentiâ: his

Tom. I. Dis. 12.

addit Alanum Copum dialogo secundo cap. 27. & alios innominatim disputatione sextâ num. 3. Tomo primo.
Tom. I. Disp. 6. num. 3. Dum fictitiam calumniam depellere nititur superfluo inanique labore Francolinus, teterrimam affingit calumniam viris Catholicis, qui in Ecclesia Orthodoxi semper audierunt. Id primùm evinco generatim, deinde sigillatim. Sapiens nemo suum in animum inducet, viros summæ lectionis, doctrinæ singularis, pietatis haud vulgaris, à nullo nec erroris accusatos, multò minùs damnatos, eò venisse insaniæ atque ignorantiæ, ut putarint, ex Ecclesiæ permissu aut præscripto, olim Confessarios peccata pœnitentium in exomologesi audita publicasse, quò pœnitentes in officio continerentur: porrò Ruardum Tapperum, Guillelmum Lindanum, Jacobum Pamelium, Alanum Copum fuisse viros multâ lectione, eruditione summâ, eximiâ pietate donatos, erroris vel minimi suspectos nunquam, nemo nescit, qui vel à limine cri-

criticam disciplinam salutavit. Quò autem id solis luce meridianâ clariùs elucescat, operæ pretium duxi impræsentiarum, tribus, quod ajunt, verbis describere vitam magnorum illorum Ecclesiæ athletarum, quos impudoratè carpit, ac ne teruntii quidem facit Francolinus.

Ruardus Tapperus, Enchusæ in Hollandiâ natus, Lovaniensis Academiæ Doctor Theologus, & Cancellarius meritissimus, primariæque Basilicæ Decanus, Adriano Sexto Pontifici Maximo, cujus auditor fuerat, aliisque Summis Pontificibus gratissimus, Carolo Quinto Imperatori, & Philippo Secundo Regi Catholico in primis acceptus, ad Oecumenicam Synodum Tridentinam à Maria Principe, Caroli Quinti sorore, quæ tùm Belgis præerat, missus, magnum sibi nomen peperit. Articulos Lovanienses contra Lutherum, erudito ad miraculum atque prægrandi opere, explicuit ac defendit. Librum etiam reliquit de providentiâ

& prædestinatione. Extremum obiit diem Bruxellis anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, ætatis verò suæ septuagesimo primo.

Guillelmus Lindanus, Patriâ Dordracenus in Bataviâ, vir Religionis Catholicæ & Ecclesiasticæ disciplinæ zelo clarus, suique sæculi scriptor egregius, ex Theologo Lovaniensi, Decano Hagæ Comitis, & fidei Quæsitore per Hollandiam Frisiamque, Ruremondensis primùm, deinde Gandavensis, post Cornelium Jansenium, Episcopus, sui sæculi hæreses scriptis doctissimis impugnavit. Scripsit Panopliam Evangelicam dubitantium, & tabulas analyticas omnium hæreseon ætatis suæ. Floruit sub Gregorii decimitertii Pontificatu, clausitque vitam die 2. Novembris anno circiter 1588.

Jacobus Pamelius Episcopus Audomaropolitanus designatus, Aldenardæ in Belgio illustri stirpe ortus, Lovaniensis Theologus, qui Tertul-

lianum

lianum & ſanctum Cyprianum doctiſſimis notis & obſervationibus illuſtravit, Libroſque de rebus Liturgicis immortalitate dignos elucubravit, defunctus eſt Montibus in Hannoniâ anno 1587. *De* ipſo Suvertius in Athenis Belgicis, Valerius Andreas, & Aubertus Miræus in Bibliothecâ mentionem fecerunt perhonorificam.

Guillelmus Alanus Copus, Lancaſtriæ in Anglia natus, Doctor Theologus Duacenſis, plurimis pro orthodoxâ Religione, Romanique Pontificis primatu, in Angliâ ſub Eliſabethæ Regno perfunctus laboribus, periculis plurimis, propter Chriſtum exul à Patriâ, in cujus commodum ac ſalutem plura Seminaria erexit, fovendis coexulibus, ſeu ſacris pugilibus erudiendis, qui pro fide Catholicâ & Pontificio primatu pariter dimicarent, & ad hæreſim debellandam identidem in Angliam tranſmitterentur, à Sixto Quinto Pontifice Maximo in Collegium Cardinalium cooptatus eſt, titulo ſancti Mar-

Martini in montibus anno 1587. Vitâ functus est Romæ decimoseptimo Kalendas Novembris anno 1594. ætatis 63. Plura scripsit de quæstionibus contra hæreticos controversis , quæ à Possevino in apparatu , & Pitteo in libro de illustribus Angliæ Scriptoribus recensentur.

Viden , Francoline mi , quales & quantos heroas Ecclesiæ infamas ? Viden quales Doctores, maximis Ecclesiæ dignitatibus , quas summo cum plausu obierunt , spectabiles , traducis ? Viden quî Academias Lovaniensem ac Duacensem in suis membris illustribus vellicas ? Me fugit quid tibi sit negotii cum hisce duabus Europæ Academiis celeberrimis : hoc unum non me præterit , à te passim tuo in opere illustriores harum Academiarum Scriptores morderi , lancinari , consputari. Hujus tuæ agendi formulæ non alia mihi in promptu est ratio , quàm te vatiniano prosequi odio doctrinam illarum insignium Academiarum , doctrinam dico

co gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis, prædeſtinationis gratuitæ, meritum omne humanum prævifum antevertentis, probabilioris opinionis legi faventis, quæ pugnat è diametro cum probabilitate vagâ, quam excelſum Galliæ ingenium non malè definivit, *artem cum Deo cavillandi.*

Sed jam tempus eſt, ut molli brachio demonſtremus ſigillatim, allegatos ſuperiùs authores nobiles, quorum vitas curſim attigimus, docuiſſe nunquam Confeſſariis fuiſſe olim permiſſum, aut etiam injunctum, ut pœnitentium peccata, ad eos in officio continendos, revelarent.

Et primùm à Ruardo Tappero exordium duco. Eruditiſſimus ille ſacrarum paginarum Profeſſor ſcripſit inſigne volumen hoc prænotatum titulo: *Explicatio articulorum venerandæ Facultatis Sacræ Theologiæ generalis Studii Lovanienſis, circa dogmata Eccleſiaſtica ab annis 34. controverſa, unà cum reſponſione ad argumenta adverſariorum.* Hujus tu operis, Francoline

coline mi, artrculum quintum citas; ubi de Nectarii facto eruditè ac eleganter disserit; & contendis eò loci clarissimum illum Academiæ Lovaniensis Cancellarium propugnasse, ex permissu vel ex præscripto Ecclesiæ, fuisse olim Confessariis licitum aperire peccata in confessione audita, adeoque sacrum pœnitentiæ sigillum fuisse omninò violatum: quod sacrilegium grande in Ecclesiam cadere, blasphemaret haud dubiè qui asseveraret. Illum articulum quintum tametsi longiusculum summa cum animi attentione perlegi, nihilque in eo deprehendi quod calumniæ tuæ vel minimam præberet occasionem. Articulo illo quinto paginâ mihi 213. Editionis Lovaniensis anno 1555. primùm observat ex Socrate Ecclesiæ historico, præfectum Constantinopoli excipiendis fidelium Confessionibus, fuisse *Presbyterum bonæ conversationis, servantemque secretum, ac sapientem.* His verbis, ut vides Francoline mi, favet sigillo confessionis.

Equi-

Equidem infrà loquens de adjectione quam Sozomenus ſcribit fuiſſe factam à Nectario, hæc habet: *Continebat etiam hæc Epiſcoporum adjectio, ut habet Sozomenus, quod ad Epiſcopum referret hic pœnitentiarius peccata audita, maximè enormia, quamvis ſecreta: & per eum publicè recitarentur in Eccleſiâ.* Hîc tu vides, Francoline mi, hiſtoricum agit Tapperus, non Theologum: Sozomeni verba deſcribit, ſententiam non aperit ſuam. Ne verò quis Sozomeni verbis decipiatur, ſuperiùs hæc habet Tapperus: *De Sozomeni hiſtoriâ ſcribit Beatus Gregorius ad Elogium & Anaſtaſium Epiſcopos Epiſtolâ 195. libro ſexto Epiſtolarum, quod Sedes Apoſtolica eam, quoniam multa mentitur, ſuſcipere recuſat: quapropter magni momenti eſſe non poſſunt, quæ ex eâ hîc allegantur.* Viden, Francoline mi, quî Sozomeni authoritatem elevet Tapperus, ac ne pili quidem faciendam eſſe profiteatur. Poſtea perſpicuè aſſerit fuiſſe nunquam ex Eccle-

Ecclesiæ usu peccatorum publicam recitationem: *Quod autem* (inquit) *Leonem quidam citant in Epistola, quæ est ad Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos, quasi in eâ sit mentio Confessionis publicæ quasi ex more, vehementer in eo falluntur: agit enim in eâ Epistolâ, quæ est 57. sanctus Leo, non de more ullo Ecclesiæ aut exemplo, sed de abusu tantùm, qui contra Ecclesiæ morem irrepserat in pusillâ tantùm Italiæ regiunculâ: neque generaliter illic irrepserat, sed apud quosdam tantùm; ut vehementer mirandum sit, viros doctos hanc Epistolam citare ad docendum usum veteris Ecclesiæ.* Denique circa istud Nectarii factum, Lectorem remittit ad Librum Joannis Hesselii, cognomento Leonardi olim magistri sui, Hasseleto Diœcesis Leodiensis oppido oriundi, Theologi Lovaniensis, ac sacrarum litterarum in eadem Academia Professoris, qui à Carolo Quinto Imperatore ad Tridentinum Synodum anno 1551. missus, eodem anno

anno Tridenti è vivis abiit, transmisitque ad posteros tractatum egregium, *de Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani facto super Confessione*, in quo zelum monstravit suum adversùs hæreses. Ex dictis, satis manifestum est, Ruardum Tapperum scripsisse nihil quod officere possit orthodoxæ doctrinæ de confessionis sacramentalis sigillo.

Jam veniamus oportet ad Lindanum. Ille in quarto Panopliæ libro cap. *69.* quod citat Francolinus, habet nihil unde possit extundi, olim ex Ecclesiæ permissu aut præscripto, fuisse licitum Confessariis revelare peccata in confessione audita; imò nonnihil legitur quod tegendo sacro sigillo prosit plurimùm. Primùm hæc habet Lindanus: *Præficiebatur vir gravis & secreti tenax, & qui morborum quantitati idonea quiret adaptare salutaris pœnitentiæ remedia.* Deinde subjicit: *Leo nusquam hunc pœnitentiæ Presbyterum amovit, quod fecit Nectarius; sed novam illam peccata quælibet*

quælibet publicandi formulam sustulit, *quemadmodum ex verbis Epistolæ* 78. *solis luce liquet clarius.* Hisce verbis meridianâ luce clarius patet, Lindanum succinere sancto Leoni Pontifici Maximo improbanti abusum paucorum hominum, qui scelerum Confessionem propalam fieri debere temerè ac imperitè contendebant. Denique hæc verba mandavit litteris Lindanus: *Ille ergo solùm Confessionis modus est à Nectario sublatus, quo pœnitentes publico illi pœnitentiario confitebantur, cujus jussu publicè apud populum ea profitebantur, quæ ille censuisset rememoranda.* His verbis minimè docet Lindanus olim Confessariis Ecclesiâ præcipiente, aut annuente, factam fuisse facultatem revelandi peccata in sacramentali confessione audita; sed id unum innuit, scilicet ante Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani tempora, post exortam Novati hæresim, fuisse in more pœnitentiario Presbytero Constantinopolitano adstringere pœnitentes, ut

ut vel quædam crimina publica, vel etiam forte atrociora ſcelera occulta propalarent, ſive ad majorem ſui humiliationem, ſive ad incutiendum cæteris fidelibus territamentum, ne in eadem peccata prolaberentur. Eâ porrò agendi ratione à pœnitentiario Conſtantinopolitano minimè fuiſſe violatum ſacrum Confeſſionis ſigillum nemo non videt Theologus, quamvis hæc praxis, præſertim circa peccata occulta à reis publicè aperienda, minimè prudentiam redoleat, minuſque juremerito probari videatur à viris doctrinâ & pietate conſpicuis. Sed jam ſatis de Lindano verba fecimus, quò calumniam ipſi impactam depelleremus: in præſenti de Jacobo Pamelio pauca dicere ſuſcepti ratio muneris nos compellit.

Pamelius in fronte adnotationum ad librum Tertulliani de pœnitentiâ hæc ſcriptis mandat: *Ab illo tempore (inquit Socrates Eccleſiaſt. hiſt. lib. 5. cap. 19.) quo Novatiani ſe ab Eccleſiâ ſejunxerant, Eccleſiarum Epiſcopi Canoni*

noni nempe pœnitentiali adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam præesset, ut qui post baptismum lapsi fuissent, coram Presbytero ad eam rem designato, secretorum tenace (ut addit Sozomenus lib. 7. cap. 16.) peccata sua confiterentur. Cùm illa Socratis & Sozomeni verba probando sua faciat Pamelius, omnibus exploratum esse debet, illum sensisse nunquam esse aperiendum sacrum Confessionis sigillum, quavis de causâ, neque id unquam fuisse olim Confessariis licitum, aut ex permissu, aut ex præscripto veteris Ecclesiæ.

Ad se nos vocat Alanus Copus Anglus, qui Francolini judicio malè audit, quòd tegendo Sacramentalis Confessionis sigillo haud satis consuluerit, docens permissum olim fuisse, aut etiam injunctum Confessariis, ut pœnitentium peccata, ad eos in officio continendos, revelarent. Alanus Copus scripsit dialogos sex, contra Summi Pontificis, Monasticæ vitæ, Sanctorum, sacrarum Imaginum oppu-

oppugnatores & pseudo-martyres, editos Antuerpiæ ex Officina Christophori Plantini anno 1566. cum privilegio & approbatione. Censoris ordinarii suffragium hæc habet: *Hi sex dialogi per Alanum Copum Anglum edendi, non solùm eo nomine, quòd pii, catholici, docti, & elegantes sint, sed & hoc nomine multò magis commendandi, quòd & ad confirmandos pios in Catholicâ doctrinâ, & ad hæreticorum nostri temporis sycophantias, fraudes, & artes in corrumpendis historiis cognoscendas & convincendas, mirificè conducant. Ita censet Cunerus Petri de Brouvershaven Pastor sancti Petri Lovanii decimoquinto Kalendas Februarias anno 1565. stylo Romano.* Hæc missa facimus, licet argumento esse possint, eo in opere nullum inesse errorem circa sigillum Confessionis illibatè custodiendum. Hæc habet Alanus Copus dialogo secundo cap. 27. quæ Francolino dederunt ansam illum culpandi: *Nam cum antea licuisset* (inquit) *quem libuisset*

Presbyterum, sui Confessione expiandi gratiâ, adire; unum aliquem certumque hominem, ad quem hujusmodi pœnitentes se expiaturi confluerent, constituerunt, qui admissa scelera ad Episcopum, si necesse foret, referret; ut ea in publico Ecclesiæ conventu palam recitarentur; tùm ad eliciendas communes populi pro eo preces, tùm ad majorem terrorem reliquis peccantibus incutiendum; quò magis deinceps propter hunc publicum pudorem deterriti, à gravibus se peccatis reprimerent; tum autem potissimùm, ut hac quasi publicâ Ecclesiæ testatione omnibus adversùs Novati hæresim denuntiaretur, neminem esse tantis & tàm horrendis maleficiis obstrictum, cui Ecclesia nollet aut non posset, post tàm accuratam & acrem pœnitentiam, eorum scelerum gratiam facere. Hanc igitur pœnitendi tàm gravem disciplinam Patres, velut appendicem quandam, & accessionem usitatæ priùs in Ecclesia privatæ Confessioni, propter Novati hæresim addidere. Ad marginem hæc habentur:

De

De hac publicâ recitatione vide apud Augustinum homiliâ 49. *Origenem super Psalmum* 37. *homiliâ secundâ: Augustinum* (sive potiùs Gennadium) *cap.* 53. *de Ecclesiasticis dogmatibus, & in libro de pœnitentiâ medicinali, quæ est homiliâ* 50. Ex verbis antecedentibus fideliter à nobis relatis nemo sanæ mentis Theologus inferet, Alanum Copum docuisse, olim Confessariis fuisse permissum aut injunctum, ut pœnitentium peccata, ad eos in officio continendos, revelarent: sed id unum meritò colligi potest, scilicet certis in casibus, celato personarum nomine (utì etiamnùm fieri solet) Presbyterum pœnitentiarium Constantinopolitanum fuisse solitum consulere Episcopum, circa pœnitentiam injungendam quibusdam atrocibus peccatis: & aliquando Confessarii jussu, aut potiùs suasu pœnitentes immania crimina sua publica, interdùm etiam secreta propalasse, propter causas superiùs ab Alano Copo relatas: quâ certè agendi formulâ

mulâ, nemo non videt Theologus nullo pacto fuisse violatum Confessionis Sacramentalis sacrum sigillum: constat enim publicam etiam occultorum criminum confessionem posse laudabiliter fieri, eamque fecisse non paucos *in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem* ut loquitur sacra Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 5. quos inter pœnitentes celeberrimus fuit, eritque in perpetuum Potamius Episcopus Bracarensis, qui (referente Eminentissimo Annalium Ecclesiasticorum parente Baronio ad annum *656.*) in Concilio Toletano decimo, accusante nemine, semetipsum prodidit, ac cum magno piarum lacrymarum imbre aperuit occultum, quod patrarat, carnis peccatum, & suâ sponte Episcopatu sese abdicans, pœnam subiit, quam Canones ejus culpæ reis imponebant.

Jam satis superque tres illustres sæculi decimisexti Lovanienses Theologos à Francolini calumniis, quibus sunt conspurcati, vindicavimus: placet

placet etiam hîc obiter elevare calumniam, quâ nititur Francolinus infamare Gummarum Huyghens Lyranum sacræ Theologiæ Doctorem in Academiâ Lovaniensi, qui nostrâ floruit ætate. Is scripsit *Methodum remittendi, & retinendi peccata*, Lovanii typis editam, cum suffragio Censoris ordinarii, & privilegio regio: deinde conscripsit aliud volumen cui titulus: *Apologia pro methodo remittendi, & retinendi peccata, adversus responsionem brevem Authore (ut se vocat) Francisco Carolo Reymakers. Lovanii typis Hieronymi Nempæi anno* 1674. Utroque in opere Theologus ille non infimi subsellii ex doctrinâ Sanctorum Patrum, in primis Augustini, Thomæ Aquinatis, atque Caroli Borromæi lato expendit calamo casus omnes, in quibus tenetur Confessarius pœnitentibus ad se accedentibus, Sacramentalis absolutionis beneficium procrastinare, aut negare. Illum magni nominis scriptorem sic carpit Francolinus, atque

deridendum omnibus propinat Tomo primo pag. 112. *Gummarus Huighenius apologiâ pag. 68. & in suâ Methodo pag. 71. . . . . . Sic istum suum rigorem adamat, ut velit absolutionem differri debere etiam sponso, qui ipso mane nuptiis destinato, abusum se diu suâ sponsâ confitetur, quamvis se intimè dolere affirmet, quamvis in id criminis relabi ampliùs nec velit nec possit, jam matrimonio reddente licitum quod antea ei erat illicitum, quamvis demùm dilatâ absolutione, differendæ sint etiam nuptiæ, cum admiratione omnium pejora suspicantium.* Paginâ illâ 71. Methodi Huighenius dubium ordine quartum movet, scilicet, *an absolutio ordinariè sit differenda illis qui per consuetudinem peccatum aliquod mortale commiserunt, nisi vitam notabili ante absolutionem tempore immutaverint?* Hoc in paragrapho integro ne vel unum quidem legere est verbulum, eorum quæ Francolinus ipsi affingit; unde patet ridiculam proponi à Francolino speciem,

Tom. I. Pag. 112.

quò

quò habeatur omnibus despicatui Theologus ille Lovaniensis laxitatum acerrimus debellator. Item in Methodo pag. 71. quam Francolinus citat, ne vel quidem somniando meminit hujus insulsæ resolutionis fictitii casûs moralis: quin imò pag. 73. hæc scribit: *Porrò hæc de differendâ consuetudinariorum absolutione asserentes, insolita & extra communem agendi ordinem posita seponimus: neque enim imminente morte, aut datis omninò extraordinariis pœnitentiæ signis intelligenda volumus; de his enim dubio quarto quæstione quartâ.* Porrò inter insolitos & extra communem agendi ordinem positos casus, nemo non videt oculatus, collocandum esse illum casum, quem Francolinus obtrudit, de sponso qui die nuptiis præfixâ confitetur, se antea rem habuisse cum fœminâ, quam sibi modò debet matrimonio jungere: non fuit igitur adeò vecors & plumbeus Gummarus Huyghenius, ut speciem illam resolveret, eo quo asserit

modo

modo Francolinus.

Hîc silentio prætermittere non possum Michaelem Baium Lovaniensis Academiæ Doctorem & Professorem, tandemque Decanum, virum probitate conspicuum, unum ex Theologis Philippi Secundi Regis Catholici ad Synodum Tridentinam missis, qui novas quasdam opiniones de libero arbitrio, de operibus, ac de aliis articulis excitavit. Cum illæ opiniones in pluribus illius libris dispersæ essent, atque errores, ut assolet, ex erroribus pullulassent, dissidiorumque tumultus eorum occasione in Belgio succrevissent, Pius Quintus Pontifex Maximus causæ cognitione susceptâ, novisque Baii opinamentis diu ac diligenter examinatis, 79. ejus propositiones edito diplomate, quod incipit, *Ex omnibus*, damnavit, absque declaratione quænam cuique censura conveniret, & Michaelis Baii nomini pepercit sanctissimus & mansuetissimus Pontifex. Diploma datum est Romæ anno

no 1567. Kalendis Octobris, quod quidem, dum Pius Quintus vixit, majoris lenitatis gratiâ, privatim Lovaniensi Academiæ ab Archiepiscopo Mechliniensi jussu Apostolico denunciatum est. Haud tamen deficientibus proscriptarum positionum patronis, nec illarum causâ discordiis; & interim Beato Pio Quinto Summo Pontifice vitâ functo, confirmatum & solemniter promulgatum est à Gregorio Decimotertio ejus successore Romæ, anno 1579. quarto Kalendas Februarii, atque ad Lovaniensem Academiam, & ad ipsum Baium delatum à Francisco Toleto Societatis Jesu Presbytero doctissimo ac religiosissimo, tunc Pontificio Concionatore, postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali. Hic Baium à pravis illis dogmatibus dimovere studuit, cohortatus ut Sedis Apostolicæ judicio acquiesceret: quod à viro pio peræque ac erudito haud ægrè obtinuit, privatâ illius retractatione contentus. Hoc diploma excepit Lova-

va-

vanienſis Academiâ, latâ lege, ut quiſquis in eam adſcribi vellet, perpetuam priùs ejus obſervationem jurejurando paciſceretur. Hæc præmittere operæ pretium duxi, ne quis temerè ſuſpicaretur, velle me Baii errores à ſancta Sede non abs re confixos propugnare. Hanc cogitationem, Deo dante, nec habui unquam, nec habebo; Chriſtianus enim mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen. Nunc ad rem venio, ſcilicet ad calumniam quâ Francolinus Michaelem Baium remordet. Tomo ſecundo pag. 172. ſermonem inſtituens Francolinus de hæreticis manifeſtis, qui totum ſuum eſſe Auguſtinum falsò gloriantur hæc ſcribit: *Neminem verò ſtultiſſima hæc perſuaſio magis decepit, quàm Baium & Janſenium. Hinc ille poſtquam novit, Romæ damnatam fuiſſe ſuam doctrinam, dolere ſe dixit ſcribens ad Cardinalem Simonettam, probroſam ſanctæ Sedi damnationem, quà videlicet ipſiſſimam Divi Auguſtini doctrinam (ſic ipſe dixit)*

Tom. II Pag. 172.

cit) damnarat. Hisce verbis Francolinus innuit Michaelem Baium fuisse censuræ Pontificiæ contemptorem apertum, in tuendis erroribus suis obfirmatum, ac meritò hæreticis accensendum. Falsa & erronea Baii dogmata pii ac docti omnes Catholici execrantur, personæ Baii non immeritò parcunt. Primò, quæ Francolinus asserit scripsisse Baium ad Cardinalem Simonettam, in Epistolâ ad ipsum datâ, quæ reperitur inter Baianas paginâ mihi 124. Editionis Coloniæ Agrippinæ anno 1696 nec conceptis verbis, nec æquivalentibus deprehenduntur, uti fecimus experimentum, criticis tametsi oculis illam Epistolam perlegerimus, imò ad calcem hæc habentur: *Scio horum omnium judicium sacrosanctæ Sedi Apostolicæ jure divino competere: cui etiam decrevi in his & aliis omnibus obedire.* Hæc verba non redolent hominem Pontificiorum oraculorum contemptorem; quin imò hæ voces sapiunt virum bonum, prose-

quentem

quentem singulari veneratione Sedem Apostolicam. Secundò, constat piissimum doctissimumque Societatis Jesu Theologum Franciscum Toletum facilè obtinuisse à viro pio & erudito Michaele Baio privatam errorum retractationem. Hoc factum testes locupletes referunt, & nullus unquam illud vocavit in controversiam. Tertiò, Valerius Andreas in Bibliothecâ anno 1643. secundùm editâ, ubi recensuit Baii libros duos de meritis operum, de primâ hominis justitiâ & virtutibus impiorum libros duos, de Sacramentis in genere contra Calvinum, de formâ Baptismi, de libero hominis arbitrio librum unum, de charitate, justitiâ, & justificatione libros tres, de sacrificio librum unum, de peccato originis librum unum, de indulgentiis librum unum, de oratione pro defunctis librum unum, hæc verba subjicit: *Atque hæc Lovanii excusa, recudi Author posteà noluit, postquam intellexit in iis quædam Pio Quinto Pontifici Maximo displicuisse.*

Quartò,

Quartò, Scriptores omnes præjudiciis vacui, qui Baii meminerunt, eum fuisse virum pium ac doctum affirmant: porrò nequaquàm pius fuisset Baius, si Pontificiæ censuræ cervicem suam submittere noluisset, ergo &c. Quintò, Baii virtutes funebri oratione Joannes Bernartius Meclhiniensis Jurisconsultus est prosecutus: Jacobus Baius, Fratris filius, Doctor Theologus illi monumentum in æde sacra Collegii Pontificii ab Adriano Sexto exædificati, posuit. Ex quibus factis colligitur, Baium opinamenta sua falsa & erronea obfirmato animo non propugnasse. Sextò denique Steyaertius Doctor Lovaniensis Jesuitis non mediocriter acceptus Facultatem fecit edendi instrumentum apparitionis Michaelis Baii, in quo hæc habentur verba: *Unde Dominus hîc est? quomodo cum eo agitur? respondit, non benè: subintuli, Saltem Dominus est in statu salutis? respondit, ita sum, &c.* Hoc instrumentum videre est inter Baiana, pag. mihi 246. Editionis antea

lau-

laudatæ. Unde manifeſtum eſt, perperam innui, Michaelem Baium & in erroribus ſuis tuendis obfirmatum fuiſſe, & in hæreticorum albo collocandum, & irreverenti erga Sedem Apoſtolicam animo præditum fuiſſe.

Jam ſatis nonnullos Academiæ Lovanienſis Doctores à Francolini calumniis vindicavimus, tempus eſt ut falſationes & interpolationes, quibus Francolinus Sanctos Thomam Aquinatem, Carolum Borromæum, utrumque Franciſcum Xaverium & Saleſium inquinat, paucis demonſtremus.

Et primùm quod ſpectat Doctorem *Tom. I. Pag. 119. & 120* Angelicum, ait Francolinus Tomo primo pag. 119. & 120. ipſum docuiſſe, teneri Confeſſarium credere pœnitenti affirmanti habere ſe verum dolorem ac propoſitum; imò probat hæc verba, quæ Suareſii nomine ex Tomo 4. in 3. par. diſp. 32. ſec. 3. laudat: *Confeſſor quando non habet ſufficientia ſigna doloris, poteſt & debet interrogare pœnitentem, an ex animo deteſtetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur*

tur

tur &c. Licet in enumerandis antea-ctæ vitæ peccatis, in enarrandis scelerum numero, specie, & circunstantiis, peccatori credendum esse doceat alicubi sanctus Thomas, cui omnes succinunt Theologi hac in parte, quippe qui solus malè gesta sua potest dignoscere: attamen quantùm attinet ad cordis conversionem, cum multoties verba fefellerunt, non satis tutò illi creditur, unde prudenter ex factis probatio exigitur. Contrarium docuit nunquam Thomas Aquinas, aut ullus ex sinceris ejus discipulis; sententia quippe adversa & improbabilis, & periculosa multùm est. Primò, quia voluntas sincera non ita certò verbis, ac operibus, sese prodit & indicat. Secundò, quia de apparatu ad veniam recipiendam idoneo æstimare, non ad reum pertinet, sed ad judicem à Deo constitutum; non ad discipulum, sed ad rectorem animarum; non ad ægrotum, sed ad medicum. Tertiò, quia tot sunt in animis nostris recessus, tot latebræ, tot

ſæpè (in primis poſt iterata flagitia) nebulæ & offuſæ tenebræ, ut ſe ipſum peccator dignoſcere non poſſit, juxta illud aureum ſancti Gregorii Magni dictum Paſtorali primâ parte cap. 9. *Sæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, fitque ut aliud in intimis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat; & fingit ſe de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloriâ non amare quod amat.* Quartò, quia pœnitens in præcedentibus Confeſſionibus emendationem promittebat, & vero ſe propoſito affici putabat; & tamen mentiebatur iniquitas ſibi, nec reapſe mutatus erat, qui eadem peccata, eoſdem iniquitatis fructus edidit, juxta decantatum Philoſophiæ adagium, *idem manens idem, ſemper facit idem.* Idem ergo intus in corde manſit, qui eadem foris protulit; & qui ſe ipſum toties fefellit, ſemetipſum decipere moraliter prudenterque exiſtimatur, niſi certiora argumenta producat, ſcilicet dignos pœnitentiæ fructus,
quibus

quibus admissis tùm debet Sacerdos absolutionis beneficium impertire: si aliter agit, præbetur occasio relabendi; nec enim sine causâ dixit nonnemo Pater, *facilitas veniæ est incentivum peccandi.* Sed jam satis hac de re Divi Thomæ vindicias suscepimus: nunc veniendum oportet ad locum sancti Caroli Borromæi, quem Francolinus mutilat, & obtorto collo in sensum trahit alienum.

Tomo secundo pag. 225. hec sancti Caroli verba recitat Francolinus: *Differenda est absolutio, donec aliqua correctio appareat, iis pœnitentibus, quos verosimile est ad eadem peccata semper redituros, quidquid contra affirment.* Contendit particulam *semper* inesse textui sancti Caroli, & reprehendit Doctorem rigidum illam vocem expungentem, quasi manifestum impostorem ac interpolatorem: & tamen hæc particula, *semper* observatu dignissima in hac materia, non reperitur in textu Italico Instructionum sancti Caroli Borromæi, neque *Tom. II Pag. 225.*

in versione latina, quam Clerus Gallicanus adornari jussit, operâ Petri de Marca Archiepiscopi Tholosani, dehinc verò Archipræsulis Parisiensis designati. Hunc in modum ubique lego: *Non debet absolvere hominem in eo statu constitutum, cum probabiliter judicat ad eadem peccata reversurum, si in iisdem occasionibus perseveret; sed per aliquod tempus emendationem ejus oportet experiri*: Item: *Differenda absolutio, donec aliqua emendatio appareat, iis pœnitentibus, qui licet se peccatum dimissuros polliceantur, Confessarius tamen probabiliter judicat ad illud reversuros.* Et quidem non vult sanctus Carolus absolutionis beneficio donari pœnitentem, nisi certa det argumenta correctionis: *Absolutionem differat* (alloquitur Confessarium) *donec certa sinceræ emendationis videat indicia.* Has regulas erectis cordibus intentisque animis Sacerdotes assiduè spectantes, solo sint Deo judice contenti, nec aliorum aut laudes petant, aut accusationes pertimescant, memo-

res

res sanctum Carolum, cujus germanam propugnamus doctrinam, crebris tempestatibus ac procellis in omni vitâ jactatum; illiusque decreta *violenta*, *dura*, *iniqua*, & *nova* vocitata. Et certè non est discipulus super magistrum, nec Christianus super Christum, qui, ut ex toto Evangelii decursu liquet, peccator, eversor legis; Cæsaris hostis, vorax ac vini potator, peccatorum amans, insanus, blasphemus, magus & incantatorum vel maximus, in principe dæmoniorum dæmonia ejiciens, audivit.

Sed nunc juvat ostendere quid senserit vir Apostolicus sanctus Franciscus Xaverius circa dilationem absolutionis. Horatius Tursellinus è Societate Jesu scriptor accuratus & elegans, de vitâ sancti Francisci Xaverii quatuor scripsit libros, in quorum quarto, cap. 23. seu penultimo hunc attexit titulum: *Confessarios Societatis quales effingeret.* Ad marginem hæc habet: *Implicati negotiis homines quomodo accipiendi.* Tùm eum in mo-

dum loquitur : *Neque tamen à Confessione absolvendos illico ; sed posteaquam ea quæ deberent persolverint. Quocirca Patri Gaspari de talibus hominibus præcipit in hunc modum : Confessionem non continuò sequetur absolutio , sed biduum triduumve dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione præparandis , ut interim animorum maculas lacrymis ac voluntariis eluant pœnis : Si quid cui debent , restituant : simultatibus, si quas habent, depositis, redeant cum inimicis in gratiam : à libidinis consuetudine , cæterisque quibus impliciti sunt , flagitiis expediantur. Hæc omnia absolutionem præcurrunt rectiùs , quàm sequuntur ; namque istiusmodi homines in ipsâ Confessione promittunt , se cuncta facturos ; post absolutionem fidei datæ immemores , promissa irrita cadere patiuntur. Quocirca elaborandum est , ut hi absolvendi repræsentent , quod præstare debent absoluti.* Hæc de verbo ad verbum loco superiùs allegato pag. mihi 379. & sequentibus Editionis Romanæ ex Typographia Gabiana

ſia anno 1594. Hiſce verbis meridianâ luce clarius liquet, ſanctiſſimum illum virum Apoſtolicum fuiſſe arbitratum, grandium peccatorum animos lacrymis, meditationibus, reſtitutionibus, reconciliationibus, aliiſque voluntariis pœnis eſſe ad abſolutionis gratiam præparandos: *Hæc omnia* (inquit) *abſolutionem præcurrunt rectiùs, quàm ſequuntur*. Et licet vir ſanctus inter Confeſſionem & abſolutionem bidui aut tridui moram, exempli gratiâ, offerat, quò magis peccatores ad pœnitentiam induceret, eoſque refractarios brevi ac facili aditu allectaret; eſt tamen, judicio illius, planè conſentaneum, ut cum opus fuerit, pœnitentibus longius temporis ſpatium adhibeatur: unde in illo ipſo quo de agimus capite, ubi ad marginem hæc leguntur: *Sceleſti homines quomodo accipiendi*, indefinitè dicitur: *Abſolutione etiam, ſi res poſcat, in aliud tempus dilatâ.* Et quidem cum illâ intercapedine utendum cenſeat, ut ablata reſtituantur, ut ſimultates de-

ponantur, ut etiam *à libidinis consuetudine, cæterisque, quibus impliciti sunt, flagitiis expediantur*, perspicuum omninò est, viri Apostolici sententiâ, longius communiter temporis intervallum adhibendum esse; cum tantulo tempore à depravatorum morum consuetudine rarissimi emergant, tametsi nonnunquam id eveniat; cujus illustre exemplum in vitâ sancti Vincentii Ferrerii extat.

Francolinus Tomo secundo paginâ 232. & sequentibus contendit, ex doctrinâ sancti Francisci Xaverii, nullos peccatores, quamlibet magnos, ad Sacramentalis absolutionis moram esse urgendos, sed tantùm suaviter invitandos, persuadendosque ut *libentes patiantur, ut boni consulant*. Et ab Horatio Tursellino, qui sibi non favet, provocat ad Possinum Jesuitam, quem feliciùs ex hispanico idiomate vertisse latinè sancti Francisci Xaverii litteras arbitratur. Ego ad manum habere non potui illam Possini versionem, quam puto à Francolino interpolari

Tom. II Pag. 232. & seqq.

polari & mutilari, sed ut ut sit, probo momentis minimè contemnendis, plùs hac in parte standum esse Horatio Tursellino, quàm Possino. Primò, quia Tursellinus est Author sancto Francisco Xaverio æqualis, minimè verò Possinus; unde majorem meretur fidem. Secundò, quia Tursellinus est author accuratus, qui oculis criticis res versat historicas, ut liquet ex illius epitome historiarum ab origine mundi usque ad annum 1598. his prærogativis non insignitur Possinus. Tertio, quia Tursellinus universa quæ ad sanctum Franciscum Xaverium pertinent, probè novit, ut patet ex illius vitâ, quæ Romæ, Lugduni, Antuerpiæ, & alibi excusa fuit, & ab omnibus benè accepta; illud autem dixerit nemo prudens de Possino. Quartò, quia Tursellini historia, de vitâ sancti Francisci Xaverii, Romæ cusa fuit anno 1594. cum privilegio Summi Pontificis, Clementi Octavo Pontifici optimo maximo consecrata, à Theologis Societatis doctissimis Joanne Desa,

Joanne Azorio, Emanuele Roderico, jussu Aquavivæ Præpositi Generalis perlecta & probata; illæ prærogativæ minimè conveniunt versioni Latinæ Possini. Quintò, quia sæpè scripta primùm eduntur omnis adjectionis pura, posthac non semel plura complectuntur alienâ manu addita. Id vitii genus in Bellarmini operibus, circa gratiam & liberum arbitrium, recenti in Germania Editioni contigisse norunt omnes Critici: possemus hîc plenâ manu alia sexcenta ejusmodi nuperarum interpolationum exempla proferferre, quæ libenter mittimus; tùm ne fortè longiores simus, tùm quia ab aliis fuerunt occupata, & publicis juris facta. Cum igitur annis multis Tursellini vita de sancto Francisco Xaverio superior sit versione latinâ litterarum ejusdem sancti viri, quam adornavit Possinus, priori plus credendum est scriptori, quàm posteriori. Sextò, quia hæc circa pœnitentes disciplina, quam, referente Tursellino, solitus erat sanctus Franciscus Xaverius inspirare

Con-

Confessariis Societatis, fuit avitus Confessariorum sacræ Patrum Societatis Jesu Spiritus, ut patet in primis ex eo quod Pater Adornus Jesuita, in condendis suprà relatis sancti Caroli Borromæi decretis, affuit. Idem sancti Xaverii Spiritus perspici potest in tractatu de Sanctissimo Sacramento, quem Pater Emericus de Bonis è Societate Jesu edidit; ubi sic habetur: *Utilissimum remedium est adversus iteratos relapsus, multisque probatum experimentis, absolutionem peccatoribus differre, ut se aliquâ pœnitentiâ ad communionem comparent. Varia igitur pœnitentiæ officia ipsis imponenda sunt, quibus ad cognitionem, dolorem, & detestationem peccatorum perducantur. Hoc autem nisi fiat, peccatores statim ad vomitum redeunt. Hoc institutum multis peccatoribus profuiße testantur graves & prudentes religiosi.*

Unus superest sanctus Franciscus Salesius vindicandus à dicto Francolini Tomo secundo pag. 231. ubi asserit virum illum Apostolicum non *consue-* *Tom. II Pag. 231.*

viße

visse perfectam contritionem in Sacramento exigere : ubi perfectæ contritionis vocabulo abusus Francolinus, intelligit inchoatum Dei amorem super omnia, uti alibi observatum est. Hac in parte sancto Francisco Salesio imponit : is enim libro 2. de amore Dei, cujus verba latino idiomate fideliter & simpliciter hic redduntur, ait : *Pœnitentia quæ excludit amorem Dei, quamvis adhuc sine ipso sit, est bona & optanda pœnitentia, sed imperfecta, & quæ salutem nobis dare non potest, donec ad amorem provecta sit; & cum ipso commixta : ita ut, sicut magnus Apostolus dixit, si corpus suum traderet, & distribueret pauperibus omnes facultates suas, non haberet autem charitatem, id sibi prodesset nihil : ita verè dicere possumus, etsi pœnitentia nostra tanta esset, ut in lacrymas oculi nostri resolverentur, & dolore corda nostra colliquescerent, nisi sanctum Dei amorem habeamus, id totum nobis ad vitam æternam nihil planè profuturum esse.*

Immensum aggrederemur opus, si

quæ

quæ malâ fide refert singula Francolinus, variis castigaremus observationibus; quia infinitæ sunt, quibus scatet, interpolationes. Multa Scriptorum præsertim Dominicanorum ad suam causam asciscit, eorum verba truncat, vel fraude depravat, vel præter ipsorum mentem, ad suum sensum detortis trahit interpretationibus. Non igitur sine causâ hæc scribit Francolinus ad calcem Tomi secundi: *Multa essent corrigenda in numeris textuum, qui allegantur. Quia tamen is error sensum non variat, & plerique hujus operis textus noti sunt eruditis, qui de fide scriptoris (ut spes est) non dubitabunt, omittitur eorum correctio, edenda, cum primum lector parum benignus exposcet.* Aditum sibi facere tentat Francolinus, quò possit à se depellere crimen interpolationum & corruptelarum, quas in citandis Authoribus centies adhibuit: sed obtinebit nil. quippe nemo non videt oculatus, errata ista in Authorum textibus citatis contigisse de industria, ut nullus posset

cita-

citationis fidem explorare. Sanè perridiculum est, vel minima menda Typographica emendare, quod grammaticastri facilè præstare possunt, & numeros textuum qui allegantur inemendatos relinquere, quod viris eruditis magnum facessit negotium. De fide tuâ in citatis plerisque Authoribus non tantùm dubitamus, Francoline, sed nullam omninò esse jam satis superque evicimus.

Ad te, mi Francoline, postrema hujusce opusculi verba dirigo: sepone cunctos affectus, quos non illepidè quidam amoris proprii sophismata nominavit: ad illam te redige præjudiciorum vacuitatem, quæ Christianum & Theologum decet: expende res morales, non tam præjudicio consuetudinis, quàm judicio veritatis, quæ vitâ ipsâ cuique debet esse antiquior: minùs apud te valeat privatæ vel præjudicatæ opinionis defendendæ cupiditas, quàm studium percipiendæ veritatis. Ita si te componas, nudam veritatem nudus assequêre, puramque

purus

purus tenebis: quia, ut ſanctus Augu-tinus libro ſexto contra Julianum c.pite ultimo veridicè ſcripſit: *Quando animoſitatem, quâ teneris, viceris; tunc veritatem poteris tenere, quâ vinceris.* Ipſam veritatem omnibus circunfuſam ſupplex invoca, quæ manens in ſe incommutabiliter, nullo modo ceſſat occultâ inſpiratione vocationis loqui ei creaturæ, cui principium eſt, ut perpulchrè docet ſanctus Auguſtinus libro 10. Confeſſionum cap. 26. *Ubique veritas præſides omnibus conſulentibus te, ſimulque reſpondes omnibus etiam diverſa conſulentibus. Liquidè tu reſpondes, ſed non liquidè omnes audiunt. Omnes unde volunt conſulunt, ſed non ſemper quod volunt audiunt.*

FINIS.